This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

52948

INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE
RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

RUDIMENTA
LINGUAE OSCAE

EX INSCRIPTIONIBUS ANTIQUIS ENODATA.

SCRIPSIT

Dr. G. F. GROTEFEND
LYCEI HANNOVERANI DIRECTOR.

ADDITAE SUNT TABULAE DUAE LITHOGRAPHICAE.

HANNOVERAE MDCCCXXXIX.
IN LIBRARIA AULICA HAHNII.

5294.8

Harvard College Library
Bowie Collection
Gift of
Mrs. E. D. Brandegee
Nov. 9, 1908.

BOUND AUG 3 1914

CAROLO ODOFREDO

MUELLER

ITALARUM RERUM AUCTORI

DOCTISSIMO

ET

PROPTER MULTA OPTIME MERITA

GLORIA SIMUL ATQUE GRATIA

DIGNISSIMO.

Index

I. *Rerum dissertationis.*

Praefatio.

Pars I. Oscum Bantinae tabulae fragmentum.

1. Primum Bantinae tabulae caput, quod exstat.
2. Secundum Bantinae tabulae caput.
3. Tertium Bantinae tabulae caput.

Pars II. Capuae Messanaeque inscriptiones.

1. Campana inscriptio e Capua.
2. Mamertina inscriptio e Messana.

Pars III. Herculanenses et Pompejanae inscriptiones.

1. Herculanenses abacorum inscriptiones.
2. Pompejanae inscriptiones variae.

Pars IV. Nummi Samnitici cum vasis Nolanis.

1. Nummi Samnitici bello Italico cusi.
2. Vasa Nolana Osce inscripta cum nonnullis aliis inscriptionibus.

Pars V. Saxum Abellanum ad fines agri inter Abellam Nolamque regendos.

1. Prior tabulae Abellanae pagina.
2. Posterior tabulae Abellanae pagina.

Pars VI. Alphabeta Osca.

1. De literarum figuris.
2. De literarum pronuntiatione.

Pars VII. Osci sermonis indoles.

1. De literarum usu.
2. De verborum formis.

Appendix. 1. De Oscorum origine.

2. De regionum, quas Osci insederunt, primis incolis.
3. De Choniae descriptione antiquissima.

II. *Tabularum lithographicarum.*

In libri titulo nummi Samnitici.

1. *Micali* LVIII, 7.
2. *Micali* LVIII, 9.
3. *Micali*, nov. ed. CXV, 15.

Tabula I.
1. Bantina tabula.
2. Campana inscriptio.

Tabula II.
1. Herculanenses inscriptiones.
2. Saxum Abellanum, cum alphabetis.
3. Inscriptio cippi sepulcralis antiquissima.
4. Pompejanae inscriptiones.
5. Nolana vascula.

Praefatio.

Absolutis rudimentis linguae Umbricae, quatenus ex inscriptionibus antiquis enodari a me potuerunt, idem periculum in Osco sermone extricando faciendum putavi: inter utramque enim linguam tanta intercedit similitudo, ut, quicquid incerti relinquat Latini sermonis notitia, ex Umbrico facile possit illustrari. Oscarum quidem inscriptionum, quae exstant, non idem est ambitus, qui nos in eruendis Umbricis multum adjuvit; sed praeterquam quod argumenta earum sine ulla difficultate dijudicare licet, tam multa quoque variis modis repetita inveniuntur, ut e comparatis locis similibus certi aliquid de sermonis indole statui possit. Quum autem non in Italia solum inferiore Campani et Samnites cum Lucanis atque Bruttiis, verum etiam in Sicilia Mamertini Messanam incolentes Osce locuti sint, variae exstiterunt dialecti: quare necesse est, ut non tempora solum, sed locos quoque discernamus, quibus inscriptiones, quas Fortuna benigna nobis servavit, exaratae sint. Sunt illae neque iisdem literis, neque iisdem prorsus vocabulorum formis perscriptae, praetereaque non minus variae argumentis quam ambitu. Maxima pars quidem in Campania vel Capuae vel Nolae vel Herculanei atque Pompejis in lucem protracta est, cui nummi accedunt, per totam fere Italiam inferiorem diversis temporibus incusi: in nonnullis quoque inscriptionibus vel nummis tam Latina quam Osca nomina leguntur, sed nonnisi paucae sunt inscriptiones Oscae tam magno ambitu, quam illa, quae Graecis literis inscripta apud Messanam in Sicilia reperta est. Maximae omnium sunt duae tabulae, quarum altera Oscis literis incisa est lapidi, qui non procul ab urbe Nola inter rudera veteris civitatis Abellae in Campania olim jacuit, altera aenea est, in ruderibus Bantiae, Lucani oppidi, reperta atque in museum Herculanense deportata.

Utraque tabula est opisthographos, sed altera Latinis literis exarata atque eatenus bilinguis dicenda, quatenus in altera parte Latino sermone repetitum fuisse videtur, quod in altera Oscis verbis compositum legitur. Tam variis igitur literis perscriptas habemus Oscas inscriptiones, quam variae ejusdem linguae dialecti fuisse videntur, quum Mamertini cum Graecis, Campani cum Romanis permixti, Samnites autem et Lucani e Sabinis progressi, linguam alii aliter excoluerint. *Ὀπικοὶ γλώσσας συνέμιξαν*, scripsit Eudoxus VI. *γῆς περιόδου* secundum Steph. Byz. Hinc ne permiscerem, quae bene distinguenda sunt, in duabus tabulis lithographicis inscriptiones omnes, quae majoris mihi momenti videbantur, sic collectas exhibui, ut prior Oscam Bantinae tabulae partem cum inscriptione Capuae reperta, posterior Herculanenses et Pompejanas inscriptiones varias cum saxo Abellano et vasculorum cippique inscriptionibus contineat. Eam partem Bantinae tabulae, quae Latino sermone exarata est, Klenzius nostras, Berolinensis nuper professor doctissimus, in Rhenani Musei philologiae, historiae Graecorumque philosophiae a Niebuhrio et Brandisio dicati volumine secundo pag. 28. lithographice sic suppletam atque illustratam exhibuit, ut hic non repetenda videretur. Mamertinam vero inscriptionem, Graecis literis expressam, sicut nonnullas alias minores Oscas, nonnisi typis in libro sic exhibere mihi licuit, quomodo mihi innotuerunt. Nummos, qui permulti quidem sunt, sed nihil fere nisi abbreviata plerumque oppidorum populorumve nomina continent, omittendos prorsus putavi, exceptis nonnullis Samniticis, quibus titulum hujus libri ornavi. Quemadmodum autem non omnes inscriptiones Oscis literis exaratae ejusdem dialecti sunt, quum Abellani atque Nolani cum reliquis quidem Campanis ab Ausonibus orti sint, sed, postquam Tusci et Chalcidenses Graeci fines eorum insederant, Samnitium magis quam Campanorum socii exstiterint; sic Bantina tabula ab Abellana multo magis sermone abhorret, quam ab reliquis inscriptionibus in Campania detectis. Ad has igitur, initio a Bantina tabula bilingui facto, prius transeundum erit, quam ad Abellanam tabulam omnium difficillimam explicatu.

Pars I. Oscum Bantinae tabulae fragmentum. Tab. I.

Bantinam tabulam jam C. Rosinius, cujus ex opere delineationem ejus hausi, e fragminibus variis composuit: unum modo fragmentum, quod cui loco reddendum esset, nemo extricaverat, ipse primus in fine primorum versuum adjeci. Sic enim non Osca modo verba *tanginud* et *pruter*, in initio versuum 7 et 16 repetita, restituuntur, sed in Latina quoque tabula firmatur Marinii sententia, qui in tertio versu imperativi *deicito* finalem literam O pro Q legendum putavit. Verba primi versus *moltaum licitud*, quibus singula totius argumenti capita claudi vacuo spatio significatur, quale est post imperativos *licitud* et *estud* v. 13. 18. 23. 27., punctis notavi, quemadmodum illa, quae in fine versuum 11 et 12. atque initio v. 27. e repetitionibus eorundem verborum v. 26. et 18. suppleta sunt. Quum ex suppletis locis cognoscatur, in iis, quae inter versus 11 et 27. leguntur, nihil deesse, paucae literae, quae post versus 18—21. separatim exaratae conspiciuntur, ad alteram tabulae paginam pertinent, quae est deperdita. Jam enim Klenzius bene perspexit, tabulam plures complexam esse paginas, quarum in altera parte, quum Latinae versionis paginae multo majorem haberent latitudinem, ne una quidem sine magna quadam truncatione nobis servata est. Ex iis autem, quae Latine scripta sunt, discimus, argumentum tabulae fuisse legem judiciariam de repetundis, illis legibus similem, quas septimo ab Urbe condita seculo promulgatas scimus: quumque legis hujus Latinae extrema fere exposita legamus, Oscam opisthographi fragmenti inscriptionem ad initium tabulae pertinuisse consentaneum est. Quanta pars initii desit, definiri nequit, praetereaque e versibus 33., quibus secundum appositos a nobis numeros Osca continetur inscriptio, decem primi et sex postremi aut in alterutra, aut in utraque parte adeo mutilati sunt, ut non sine hariolatione suppleri possint. Feliciter tamen accidit, ut, Oscae legis paginis angustiore spatio scriptis, dimidia saltim pars ejus aut plene legatur aut facile possit restitui. Illud igitur utrique legi, et Oscae et Latinae, commune est, ut e quaternis capitibus, quorum singula in Latina lege a novo versu incipiunt, in Osca vero majore tantum intervallo verborum discernuntur, tam primum quam postremum adeo mutilatum sit, ut, ne operam et oleum

persdamus, silentio nobis praetermittendum videatur, exceptis paucis, quae ad reliqua recte interpretanda facere aliquid possint.

1. *Primum Bantinae tabulae caput, quod exstat.*

Initium hujus capitis post primi versus verba *moltaum licitud* deest, et in secundo versu nonnisi tria leguntur verba, quorum primum una litera Q. scriptum est, quae in Oscis alphabetis secundae tabulae lithographicae desideratur, in Bantina vero tabula iterum legitur v. 29. Lingua Osca literam *q* adeo fugit, ut secundum Paulum Diaconum *pitpit* pro *quidquid* et secundum Festum *petora* pro *quatuor* diceretur: illa litera igitur *Quaestor urbanus* designari videtur, qui in Latina lege v. 9. 18 sqq. *Q. urb.*, in Pompejanis vero inscriptionibus *KFαισστεϱ* scribitur. Verba *Q. moltam angit* illustrantur Tuderti inscriptione, in Tiberi fluvio reperta, ubi haec leguntur: »Sei quis adversus hanc rogatio»nem fecerit sciens d. m., ei multa esto HS. IxI., ejusq. pecuniam Quaestori, quei aera»rium provinciam obtinebit, populi judicio petere vel in sacrum judicare liceto.« *Multae* enim vocabulum secundum Gell. XI, 1. M. Varro uno et vigesimo Rerum humanarum non Latinum, sed Sabinum esse dixit, idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt a Sabinis orti. Festus autem: »Multam, inquit, Osce dici putant »poenam quidam: M. Varro ait poenam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in lib. I. »Quaestionum epist. refert.« Hanc multam quum Quaestori populi judicio petere liceret, verbum *angit* pro Latino *inigit* sive *cogit* positum mihi videtur: Oscos enim *an* pro *in* dixisse, sicut Umbros, e praepositione *anter* in inscriptione Pompejana intelligitur. Sic de Censore v. 20. *Censtur censaum anget* legitur, ubi tamen *censaum* non pro accusativo nominis, sed pro infinitivo verbi accipiendum est, sicut *moltaum* in initio hujus tabulae pro *multare*. An Osci *deivaum* quoque pro *debere* sive *solvere nolle* dixerint, quemadmodum *censaum* pro *censere*, propter lacunam ante futurum exactum *deivast* v. 3. definiri nequit: inde vero derivatur praeteritum *deivaid* v. 11. cum intensiva forma participii *deivatuns* v. 9., cui similis est *eituns* pro *itens* in initio Pompejanae inscriptionis. Quid in initio v. 5. legendum sit, loci mutilatio incertum reddit, quanquam suppleta praepositio *pruţer* sive *praeter* accusativum *deivatom* requirere videtur: in quo literam finalem *m*, sicut in Umbrica lingua, abjici potuisse, *comono* v. 14. pro *comonom* v. 17. docet. Pro *maimas carneis senateis tanginud* v. 3. paullo post v. 6 sq. inverso ordine *senateis tanginud maimas carneis* scriptum fuisse puto; nescio tamen, an *maimas carneis* pro genitivo accipiendum sit, quemadmodum *senatus* pro *senati* sive *senatus*, qui pendet ab ablativo *tanginud* sive *decreto*. Oscum enim *tanginom* Graeco *ϱάγματι* respondere, et *senateis tanginud* idem significare, quod *de senatuos sententiad* in Senatus consulto de Bacchanalibus, Abellana tabula docet, ubi I, 9. et II, 8. similia leguntur. Versus 4. initium nimis mutilatum

est, quam ut definiri possit, quomodo interpretandum sit; nescio tamen, an comparascuster Graecis verbis ἐκ παρασκευῆς respondeat: *pertemust* enim futurum exactum est infinitivi *pertumum* v. 7. sive *pestemum*, unde mutilatum *pertemen*.. derivatur, cum Graeco ὑποτέμνειν (*defraudare*) comparandi; *sipus* autem adjectivum *sibus* est, quod Festus quidem *callidus* et *acutus* interpretatur, h. e. σοφός, Aeolice pro σοφός, unde *Sisyphus* quasi Σεσόφος nomen accepit, sed cum verbis *perum dolom mallom siom* h. e. *per dolum malum suum* conjunctum Latino *sciens* respondet: quanquam Osci illi secundum Paulum Diaconum *daliz(i)um* quasi δείλαιον (*stultum* atque *insanum*) opposuisse videntur.

Nomen in loco mutilato inter *sipus* et *perum dolom mallom* v. 5. insertum *comenei* legendum est, quemadmodum v. 21., in dativo casu, etsi ablativus, qui post *ioc* quoque in fine versus sive *eo* supplendus videtur, v. 7. *comono* scriptus est. Latini enim eodem modo *commoene* pro *commune* dicebant, pro quo apud Oscos *comonom* usitatum fuit, quemadmodum *inanimum* pro *inanime* apud Latinos. *Commune* vero apud Horatium quoque C. II, 15. 14. pro re publica usurpatur, sicut τὸ κοινόν apud Graecos: unde in Latina lege v. 8. *condumnari popul.* legitur. Ceterum *comenei* dativus esse potest a nominativo *comonom*, sicut *senateis* genitivus est a nominativo *senatus*. Literam *m* non geminatam esse, non magis miror, quam quod *mallom* scriptum sit in syllaba correpta: vocalem *i* in *sipus* producendam esse, Plautinus versus apud Festum docet s. v. *persibus*:

Níhil deconciliáris *sibus*, nísi qui *persibús* sapis:

unde versus Saturnius Naevii, a Godofr. Hermanno in elementis doctrinae metricae pag. 635 sqq. neglectus, sic est restituendus:

Et quí fuerit *persibus*, cápiend(a) eid(em) est rátio.

Pro *siom* v. 22. etiam *sivom* scriptum est, quemadmodum Graeci σφόν pro ἑόν (*suum*) dixerunt; pro *eo* contra *ioc* exaratum legitur, quemadmodum *ionc* v. 12. 17. 26. pro *eum*, unde nescio an *idic* quoque in fine versus 6. (sic enim v. 30. scribitur) pro *id* sit positum. Praepositio *per* vero in *perum* dilatatur, quemadmodum Latini veteres *sedum* pro *sed* vel *donicum* pro *donec* scripsisse dicuntur. Accusativus in *em* potius quam in *um* exire solebat. Ceterum pro *sipus comenei perum dolom mallom siom* v. 11. nihil nisi *dolud malud* legitur, quemadmodum *dolud mallud* v. 20. extr. pro (*sipus*) *perum dolom mallom* v. 14 sq. 21 sq. Sic in lege Numae Pompilii regis apud Paulum Diac. s. v. *parrici(di) quaestores* nihil nisi *dolo sciens* scriptum est pro *sciens dolo malo* in Tuderti inscriptione supra laudata vel in Latina hujus tabulae lege v. 6. et 16. Puncta, quibus vocabula singula distingui solent, non minus perperam omissa esse interdum quam posita, ablativus *amnud* docet v. 6. bis positus et fortassis etiam in literis *am* v. 3. extr. supplendus. Hinc *pan pieis umbrateis* tribus vocibus legendum est, sed quia totius sententiae contextus ignoratur, incertum manet, an *umbrateis* pro *embrateis* scriptum atque *quam cujus imperati* vertendum

sit, ut oppositum illi *cadom* spontaneum aliquid sive ἐκούσιον designet. *Avti* sive *avt* v. 20. pro *atque*, sicut *inim* sive *in* v. 12. 26. 28. pro *et*, in usu fuisse, Abellana tabula I, 22. et 29. docet. Graecum αὖτε quidem sive Latinum *autem* differentiam rerum significat, sicut *at* apud Paulum Diaconum; sed Latinum *atque* ex adversativa conjunctione *at* derivatum scimus, ινθκ autem sive ενθκ in Iguvinis tabulis quoque IV, b, 31. pro *et* VI, a, 24. usurpatum est. Utrum *piei* v. 7. dativus singularis vel nominativus pluralis sit pronominis relativi *pis* v. 8. et 10. vel 4., propter verbi *pertemen..* truncationem dici nequit; ante *pis* vero v. 8. e versu 4. *svae* supplendum videtur, ut *svae pis po capit* pro *si quis quo capit* scriptum sit, quemadmodum v. 10. *pod pis dat* pro *quod quis dat*. An vero *post post exac* perperam exaratum sit pro *pod post exac* sive *quod posthac*, quod v. 23. legitur, propter incertum verborum contextum definire non ausim.

Post exac pro *posthac* sic scriptum est, quemadmodum v. 11. 17. 25 sq. *contrud exeic* pro *adversus hac* in lege apud Festum s. v. *publica pondera*, vel εκθσκ in Pompejanae inscriptionis initio pro *in hoc*, unde *eisuc* v. 16., quod Umbrico εσθκ in Iguvinis tabulis III, a, 1. respondet, sic differt, ut *exeic* ab *eizeic* v. 21. sive *izic* v. 14., Umbrico *isec* in Iguvinis tabulis VI, a, 25. vel Latino *sic*. Ne quis autem putet, Oscos *exeic* eodem modo pronuntiasse quo *eizeic* sive *izic*, quia *meddis* v. 8. extr. Volscus *medix* est in Veliterna inscriptione vel Ennii *meddix* apud Paulum Diaconum, ad aliam pronominis demonstrativi formam εκακ sive εκα et εικικ provoco, quae legitur in inscriptionibus Pompejis, Capuae, Abellae repertis. *Exα* pro εκακ scribi potuit, quemadmodum in Mamertina inscriptione ηισα pro *eizeic*, atque in Iguvinis tabulis III, a, 14. εσθ pro εσθκ III, a, 1. legitur: hinc in nostra quoque tabula v. 10. *ezum nep fefacid* pro *hoc nec fecit* scriptum est. *Fefacid* enim Osci cum reduplicatione dixerunt, quemadmodum *fefacust* v. 11. et 17. pro *fecerit* Latinae legis v. 6. sive *faxit* apud Festum s. v. *publica pondera*, atque Umbrico φακθστ in Iguvinis tabulis I, 31. *Factud* v. 9. pro imperativo *facito* est accipiendum, qui Umbrice *fetu* sive *feitu* scribitur: quemadmodum vero ab imperativo *actud* v. 15. pro *agito* infinitivus *acum* v. 24. scribitur, sic *deicum* v. 10., unde futurum exactum *dicust* v. 14. et participium *deicans* v. 9. legitur, pro infinitivo *dicere* accipi potest; sed an *stom* v. 9. pro *istum* scriptum sit, quia omnia haec incerta facit versus truncatio, affirmari nequit. Verbum ante *meddis* v. 8. *habeat* legendum videtur, unde *hipid* pariter differt, atque *cupit* Latinum a *capiat*. *Pruhipid* enim v. 25. non magis respondet Latino *prohibeat*, quam *pruhipust* v. 26. Latino *prohibuerit;* sed quum e Latinae legis verbis v. 7. *sei postulabit quei petet per recuperatores* cognoscatur, de repetundis agi in nostra tabula, *hipid* significat idem quod *petit*, atque *pruhipid* idem quod *repetit*. *Ni* vero sive *nei*, quod ante *hipid* legitur, pro *non* dici solebat, quemadmodum *nep* sive *neip* v. 15. 25. 28. pro *nec*. An in initio versus 9. *in* pro *et* supplendum sit, non liquet; sed *cituas* genitivus etiam in initio

versus 13. et alibi legitur, ab ablativis *mistreis alteis* dependens. Quodsi sub *mistreis alteis eituas*, quibus *fortis meddis* v. 12. opponitur, *magistrl* sive praefecti aerarii sunt intelligendi, *eitua* est Osca aerarii appellatio. Aerarium autem Latina lex v. 15. et 19. in aede Castoris in forum versus fuisse dicit, quemadmodum Romanus populus secundum Paulum Diaconum aerarium in aede Saturni habuit, cujus cura postmodo (Tac. A. XIII, 29. et Gell. XIII, 24.) a quaestoribus ad praefectos tralata est: hinc *eituam* idem nomen esse puto, quod *ειτιϐFαμ* in Pompejana inscriptione aedis Isidis h. e. *αἴθουσαν* sive *πρόναον*, atrium aedis. Ob eandem causam in Tuderti inscriptione supra laudata scriptum puto *populi judicio petere vel in sacrum judicare liceto*: unde male Scaliger, quum eadem verba apud Festum s. v. *publica pondera* legeret, *im* (h. e. *eum*) *sacrum judicare* emendare voluit.

Licet incerta sint, quae in decem prioribus versibus leguntur, nihil tamen facilius est intellectu, quam extrema primi capitis clausula: idem enim additamentum non solum, pancis mutatis, in ipsa nostra tabula repetitur; sed similia quoque leguntur in Latinis legibus. Prioris enuntiationis

v. 11 sq. *Svae pis contrud exeic fefacust, avti comono hi(pid),*
(etanio mol)to estud n. ΦΦ.

prima verba, v. 17. repetita, in Latina lege v. 6. sic vertuntur:

»*Sei quis advorsus hance legem fecerit*«;

tota vero enuntiatio sic mutatur v. 25 sq.

Svae pis contrud exeic pruhipust, molto etanio estud n. Φ.

cui respondet supra laudata Tuders inscriptio: »*Sei quis adversus hanc rogationem fecerit* »*sciens d. m., ei multa esto HS.* IxI.« In Heracleensi contra tabula c. VII. extr. post notas SC. D. M. h. e. *sciens dolo malo* reperiuntur verba c. X. extr. repetita: »*Quei ad-*»*versus ea fecerit, is HS.* Iɔɔɔ *p. d. d. esto* (h. e. *sestertium quinquagena millia populo* »*dare damnas esto*), *ejusque pecuniae, quei volet, petitio esto*«. Ex his inter se comparatis primum intelligitur, Oscos *svae pis* dixisse pro Umbrico *svepis* in Iguvinis tabulis IV, a, 18. sive *sopir* VI, a, 54. atque Volsco *sepis* in Veliterna inscriptione vel Latino *siquis*, Graeco *εἴ τις*: deinde *contrud* pro *contra*, quod tamen, sicut *exeic*, adverbialiter positum puto, Festi verba s. v. *publica pondera* comparans: »*Si quis magistratus adversus hac — faxit*«. Sic etiam *etanio molto* non potest esse nominativus ejus nominis, cujus accusativum *moltam* v. 2. legimus, etsi M. Cato quoque apud Gellium VII, 3. dixit: »*Si quis illud facere* »*voluerit, mille nummi, dimidium familiae, multa esto*«. Agnosco potius Umbrorum morem, quem infra antiquis quoque Romanis fuisse demonstrabo, apud quos ablativum feminini generis tam in *o* quam in *a* desinentem reperimus, eamque ob causam constructionem verborum in nostra tabula diversam puto ab illa, quae est in locis laudatis. Verba vero

inserta *avti comono hipid* contrarium enuntiant illis, quae v. 8. 14. 17. cum negatione leguntur: *comono(m) ni hipid*. *Hipid* praesens tempus esse, sicut *pruhipid* v. 25., futurum exactum *pruhipust* v. 26. docet: ne autem *pruhipust* et *fefacust*, etsi apud Festum *faxit* scriptum est, pro subjunctivo praeteriti accipiamus, prohibet conjunctio *avti* (*atque*), qua praesens *hipid* (*petit*) cum futuro exacto *fefacust* (*fecerit*) copulatur. Reduplicationis forma eadem est, quam apud Latinos veteres pariter atque apud Umbros, Graecos et Ostrogothos usurpatum invenimus. Nam Latini veteres non solum *tetini* secundum Paulum Diaconum, sicut *memini* et *cecini*, vel *scescidi* et *tetuli* secundum Gellium VII, 9., sicut *cecidi* et *pepuli*, verum etiam *pepugi*, *ceeurri*, *peposci*, *memordi*, *spepondi*, sicut *pepigi* cet. dixerunt; apud Ulfilam autem *taitok* pro *tetigit* et *skaiskaid* pro *scescidit* eodem modo pronuntiandum est, quo *peperscust* in Iguvinis tabulis VI, a, 5. pro *purgaveris* et πεπυρκαρεντ III, b, 5 sq. pro *poposcerint*.

Notis *N. Φ.* mille nummos significari, quemadmodum notis *HS. IxI.* in Tuderti inscriptione, notisque *N. ΦΦ.* duo millia nummum, quemadmodum *ΦΘΦ* pro tribus millibus in inscriptione columnae rostratae legitur, M. Cato l. l. testatur. Romani autem secundum Festum *maximam multam* dixerunt trium millium et viginti assium sive mille ducentorum octo nummum sestertium, quia non licebat quondam pluribus triginta bubus et duabus ovibus quenquam multari, aestimabaturque bos centussibus, ovis decussibus. Eadem s. vv. *ovibus* et *supremum* repetita Varro refert apud Gellium XI, 1., adjectivo vero *etanto*, quum et in N. *Φ.* et in N. *ΦΦ* additum sit, nihil aliud nisi *idoneum* sive justum quid significari videtur: nam *justum vadem* Paulus Diaconus quoque *idoneum sponsorem* interpretatur. Adjectivum substantivo modo antepositum modo postpositum non magis offendere potest, quam variatus verborum ordo in sequentibus, si haec inter se comparantur:

v. 12 sq. *Svae pis ionc fortis meddis moltaum herest,*
ampert mistreis alteis eituas moltas moltaum licitud.

v. 17 sq. *Ionc svae pis herest meddis moltaum, licitud;*
ampert mistreis alteis eituas licitud.

v. 26 sq. *Svae pis ionc meddis moltaum herest, licitud;*
ampert mistreis alteis eituas moltas moltaum licitud.

His respondent ea, quae in Latina lege v. 9 sq. leguntur:

Sei quis mag. multam inrogare volet,
(dum minoris) partus familias taxsat liceto.

quaeque apud Festum s. v. *publica pondera* sic exprimuntur:

Eum (si) quis volet magistratus multare, (liceto);
dum minore parti familias taxat liceto.

Horum locorum similitudo tanta est, ut ad Osca verba interpretanda sufficiat sola fere Latinorum verborum comparatio: Osca enim a Latinis nonnisi in verbis *ampert mistreis alteis eituas* differunt, in quibus *ampert* Graecis praepositionibus ἀμφὶ περί sive περί τ' ἀμφί τε apud Homerum respondet, nec scio an in Iguvinis quoque tabulis V, a, 36. περτ σπινια pro περὶ σπονδῇ accipiendum sit. Osci certe *pert* pro περί, sicut *perum* pro *per*, dixisse videntur. Quemadmodum vero *mistreis eituas* sive *praefectis aerarii* appellatio *alteis* sive *excelsis* tribuitur, sic *meddis* sive *magistratus* dicitur *fortis* h. e. secundum Festum *frugi et bonus* vel *validus*. Idem in Herculanensi et Pompejana inscriptionibus *Meddiss tuvtiks*, apud Livium XXIV, 9. XXVI, 6. *medix tuticus*, apud Festum s. v. *sufes* vero *medias tuticus* h. e. *magnus* audit. *Meddix* sine dubio Graecorum μέδων est, unde Latinorum quoque *mediastinus* sive *curator* derivandus videtur; etsi vero *meddis* nomen ad tertiam potius quam ad secundam declinationem referendum videtur, is tamen, qui pro magistratu agit, v. 13. et 21. *pru meddixud* agere dicitur.

Pro *herest* in Latinis legibus *volet* scribitur, unde *heriest* quoque in Iguvinis tabulis VII, a, 52. sive *heries* VI, a, 48. IV, a, 10. V, b, 21. pro futuro simplici accipiendum videtur, sicut *habiest* VI, a, 50. 63. VII, a, 46. 51., μένες IV, a, 15., ανπενες et πυρτυϜιες V, b, 27 sq., distinguenda a futuris exactis *habus* VI, a, 40., βενυς V, b, 16. sive *benust* VI, a, 33., απελυς V, b, 27. sive απελυστ III, a, 17., πυρτι(τ)ιυς IV, b, 28. 31. 34. V, a, 7. 9. sive πυρτινζυς IV, a, 33., *purdinsus(t)* VI, a, 16, 23. 27. 38. sive *purdinsiust* VII, a, 43. Respondet autem *herest* Graeco verbo χαιρήσει; quomodo vero *moltas* ante infinitivum *moltaum* interpretandum sit, difficile est dictu. Ne enim *moltas moltaum* sic interpretemur, quemadmodum Plautus Stich. III, 1, 18 sq. solius alliterationis causa scripsit: »Scio scire te,

Quam *multas* tecum *miserias mulctaveris*,«

singularis numerus prohibet, quo *molta* semper in tabula nostra usurpata legitur. Quodsi *moltas* genitivus est, sicut *eituas*, is cum infinitivo *moltaum* eodem modo construitur, quo *pecuniae damnare* vel *quadrupli irrogatione multare* dicebant Romani. Totum vero primi capitis additamentum sic vertendum videtur:

Svae pis contrud exeic fefacust, avti comono hi(pid,
Si quis contra in isto fecerit, atque commune petit,
etanio mol)to estud n. Φ Φ.
justa multa esto n. M M.
In svae pis ionc fortis meddis moltaum herest,
Et si quis eum fortis magistratus multare volet,
ampert mistreis alteis eituas moltas moltaum licitud.
una cum magistris altis aerarii multae multare liceto.

2. *Secundum Bantinae tabulae caput.*

Si *pru meddixud* sic explicandum est, quemadmodum in Latina lege v. 18. 22. *apud Q(uaestorem) urb(anum)* scriptum legitur, verba *altrei castro sauci* in casu locali posita sunt, ut *in altera urbe socia* idem significet, quod *Romae*: *castrum* enim pro urbe scriptum nemo mirabitur, qui in Iguvinis tabulis *castruo* pro moenibus legerit, vel *procestria*, Glossariorum *procastria*, pro aedificiis extra portam apud Paulum Diaconum. Pro *socio* quidem in Iguvinis tabulis *sorso* legitur; sed pro *altero* Umbri quoque *ahaltru* dixisse videntur, siquidem inscriptionem aeneae Martis statuae ante aliquot annos prope Tuder repertae (*Bullettino* dell' instituto di corrispondenza archeologica per l'anno 1837. pag. 27. *Kunstblatt.* Stutgart. 1838. N. 65.) in loricae cingulo sic interpretari licet:

AFαλτρȣ(μ) τιτ ις π(ι) ȣνȣμ πεπε(τ)
Alterum (ictum) *timet* (*δείει*) *is, qui unum bibit s. gustavit.*

Eituas zicolom dicust interpretor *aerarii causam dixerit*, quatenus Osci deminutivo *zicolom* utebantur pro *zico* v. 15. h. e. *δίκῃ*, *dica*; *urus urust* vero aliter interpretari nescio, nisi *orans oraverit*, ut participium *uru(n)s* cum adverbio *petirupert s. petiropert* v. 15. jungatur, quod *quater* significat, quemadmodum *τρ̣ιιȣπερ̣* sive *trioper* in Iguvinis tabulis *ter.* Oscos enim *petora* pro *quatuor* dixisse, Festus testatur s. v. *petorritum*, atque in Iguvinis tabulis VI, a, 11. *peturpursus* pro *quadrifariam* legitur. *Donoptovtad* Latino *duntaxat* respondet, quatenus *donop* pro *donec*, sicut *nep* sive *neip* pro *nec* dici solebat, *tovtad* vero a *tovta* v. 21. sive *tavta* v. 19. (*τάξει* sive censu) deducitur, sicut *taxat* a *τάττω*.

Trutum quum pro infinitivo accipi nequeat, accusativum agnosco ad *zico tovto* referendum, ut tota causa sive totum judicium designetur *laesum* sive *frustratum* (*τρωτόν*): nam *peremust* positum est pro *peremerit*, quo verbo Cato secundum Festum pro *vitiare* usus est, unde *peremptalia* fulgura vocabantur, quae superiora fulgura aut portenta vi sua perimebant i. e. tollebant. *Mais* adverbium *magis* est, unde *Majus* mensis secundum Festum *Maesius* vocabatur, atque *maimas* v. 3. et 7. pro *maximae* positum videtur; *pomtis* vero pro *pontis* scriptum est, sicut in Heracleensi tabula *tamtus*, *quamtus* et *sentemtiam* pluries legitur, idque pro *punctis*, sicut Umbricum *πȣντες* in Iguvinis tabulis II, 8, 10. *Petiropert nep mais pomtis* igitur *quater nec pluribus vicibus* significat, *com preivatud actud* vero *cum privato* sive *privatim agito*: litera *d* enim apud Romanos quoque tam imperativo, ut *estod* in regis Romuli et Tatii legibus apud Festum s. v. *plorare*, quam ablativo, ut *sententiad* et *extrad* in Senatus consulto de Bacchanalibus vel *altod marid*, *navaled praedad*, cet. in columna rostrata Duilii. In *pruter pam* sive *praeterquam* subintelligendum est *quod*, unde pendet futurum exactum *didist* sive *dederit*. *Medicatinom* equidem *compensationem*, sicut *pondosmo* pro ablativo *ponderatione*, interpretor: numerum XX. vero aliter interpretari nescio, nisi pro genitivo *viginti hominum* h. e. *reciperatorum* positum; numerum XXX.

contra inter genitivos pluralis numeri *zicolom nesimum* (hunc casum enim intelligendum esse, ablativi *zicolois X nesimois* v. 25. docent) ad *δίκας τριακοσταίας* refero, quarum Heracleensis tabula prior v. 49. et posterior v. 26 sq. meminit. Has dicas autem, quum in nostra tabula reciperatoribus in privato judicio opponantur, aliter interpretandas censeo quam Mazochius: legimus enim *eisuc en ziculud zicolom XXX. nesimum comonom ni hipid* h. e. *hoc in judicio judiciorum XXX. nesimorum (agi) commune non petit*, quae verba ut recte intelligantur, inquirendum est in vim adjectivi *nesimum*. In fine Capuanae quidem inscriptionis adjectivo *nessima*, si recte ibi legitur, Latinum *sollennia* respondere videtur; sed si a *nexu* recte deducitur, connexum proprie et continuatum aliquid significat. Sunt igitur *zicola XXX. nesima*, si *δίκαις τριακοσταίαις* respondent, judicia per triginta dies continuata, dum adversus injustos debitores, ut Mazochii verbis utar, spatium menstruum (v. 31. *zicolom VI. nesimum* legitur) praestituebatur, quo elapso, si a detentoribus jura satis multis monumentis demonstrata fuissent, statim causa adversus eos pronuntiata, ad executionem rei judicatae deveniretur.

Totius capitis versio haec est:

Svae pis pru meddixud altrei castro sauci eituas zicolom dicust,
Si quis pro magistratu in altera urbe socia aerarii causam dixerit,
izic comono ni hipid, neip donoptovtad petirupert urus urust,
sic commune non petit, nec duntaxat quater orans orassit,
sipus perum dolom mallom, in trutum zico tovto peremust,
sciens per dolum malum, et frustratum judicium totum peremerit,
petiropert neip magis pomtis com preivatud actud:
quater nec pluribus vicibus cum privato agito:
pruter pam medicatinom didist, in pondosmo XX. com preivatud urust,
praeterquam(quod) compensationem dederit, et ponderatione XX.(reciperat.)privatim orassit,
eisuc en ziculud zicolom XXX. nesimum comonom ni hipid.
hoc (agi) in judicio judiciorum XXX. continuatorum commune non petit.
Svae pis contrud exeic fefacust, ionc svae pis herest meddis moltaum,
Si quis contra in isto fecerit, eum si quis volet magistratus multare,
licitud: ampert mistreis alteis eituas licitud.
liceto: una cum magistris altis aerarii liceto.

3. *Tertium Bantinae tabulae caput.*

Tertium caput a conjunctione *pon* incipit, quae ab Umbrica *pone* sic deducta est, quemadmodum Latina *cum* ab antiqua *cume* in Saliari carmine apud Scaurum de orthographia pag. 2261. ed. Putsch. *Censtur* est *Censor* in provinciis *Censitor* dictus, unde pro

Sansae, sicut v. 27., *Bansae* h. e. *Bantiae* legendum est, quum paullo post scriptum sit: *pis cevs Bantins fust* h. e. *quisquis civis Bantinus fuerit*. Quum secundum Paullum Diaconum Osce *pitpit* pro *quidquid* diceretur, proprie *pispis* pro *pis* scribendum fuit, quemadmodum *tovtam* pro *tavtam*, quoniam v. 21. *tovtad* pro censu scriptum est. Ab infinitivo *censaum* v. 20. pro *censere* recte deducitur *censazet* pro *censuerit*; *censamur* vero nescio an sit participium passivi pro *censamnus* sive *censendus*, cum nominibus *cevs Bantins* jungendum. Tum *esuf* adverbium est pro *exhinc*, quemadmodum in Pompejana inscriptione *πεφ* pro *ubi* legitur. *Poizad* sive *pensat* est intensiva verbi *pendĕre* forma, quam in Latina quoque inscriptione Pompejana apud Orellium n. 2541. legimus, ubi sub tabula gladiatores exhibente TETRAIDES. PRVDE(N)S. PRVDE(N)S I(nvictus) $\overline{\text{XIIX}}$. TETRAIDES L(apsus) $\overline{\text{XI}}$. infra vero literis minoribus scriptum est: »Abiat Venere Bombejana iradam, qui hoc *laesarit*« h. e. *abeat Venere Pompejana irata, qui hoc laeserit*. *Licui aisc, si pas exaiscen ligis* v. 25. h. e. *cujus ex istis legis* comparatur, pro *licus*, *paisc* h. e. *legibus*, *quibus* exaratum videtur: *licus* enim pro *ligus* h. e. *legibus* scribi potuit, quemadmodum in Heracleensi tabula *leces* pro *leges* scriptum legitur; *paisc* vero h. e. *quibus* cum verbo *anget* h. e. *inigit* sive *cogit* jungendum est, quemadmodum dativus *ligus* cum subjunctivo *uzet* h. e. *audiat* sive *pareat*. *Censtomen*, sicut *Fεκεμεν*, *εσενεμεν*, in Iguvinis tabulis II, 20., ubi etiam in precibus sextae tabulae *ose* pro *audias* legitur, in casu determinativo positum, *ex censito* significat; *efb(e)nust* vero *exsolverit*, e praepositione *ex*, quae ante *b* in *ef*, sicut ante *m* in *egmazum* v. 24. in *eg*, mutatur, et futuro exacto *benust* (*operatus fueris* in Iguvinis tabulis VI, a, 53) compositum.

In eizeic pro *izic* v. 14. *et sic* significat, *vincter lamatir* vero ex Umbrorum more pro ablativis absolutis *vinctis* sive *vinculis laxatis* interpretandum videtur. In *pru meddixud tovtad praesentid* tam ablativi *pru meddixud* (*pro magistratu*) et *tovtad* (*ἐν τάξει*, *pro censu*) quam verbum *praesentid* (*praesentat* sive *praestat*) in literam *d* exeunt, atque in *perum dolum mallom* tam praepositio *perum* quam accusativi *dolum mallom* in literam *m*; sed ex ablativis absolutis *amiricatud allo famelo inei sivom* alter quidem *amiricatud* pro *emercato* literam *d* adjecit, alter vero *allo famelo* pro *alio servo*, qui secundum Paulum Diaconum ab Oscis *famel* dicebatur, eam abjecit, atque ablativus per adverbium *inei* (Graece *ἔνθα*, Latine *em* secundum Paulum Diaconum pro *tum*) appositus *sivom* pro *σφῷ* sive *ἑῷ* (*suo*) literam *m* assumpsit, quemadmodum supra in Pompejana inscriptione *Venere Bombejana iradam* legimus. *Pafieizeis* pro *perfidiosus* literam *r* abjecit, sicut Romani *pejerantem* pro *perjuro* dicebant vel *tadait* v. 10. pro *tardavit* scriptum est; *fieizeis* vero a *fide* deducitur, quemadmodum Umbri *Fidium Sancium* in Iguvinis tabulis *Fisom Sans'iom* dixerunt. *Pae* pro *qua* scriptum est, sive e superioribus *tovtad* sive, comparatis verbis *pas exaiscen ligis scriftas set* v. 25. h. e. *cujus ex istis legis scriptae sit*, *ligid* suppleas; *ancensto* vero vel

in censito vel pro *ancestom* scriptum *censitum* interpretandum est. *Tovtico*, a *tovto* (*totum* v. 15.) derivatum, respondet Umbrico *todcome* (*prorsus*) in Iguvinis tabulis VI, b, 10. Tum non parvo solum intervallo, sed abbreviato quoque adverbio *porro* in *pr.* nova hujus capitis periodus indicatur, in qua *praefucus* Umbrico more pro *praefucust* (*praefucassit* sive *praetexuerit*) scriptum, et praepositio *op* (*ob*), sicut *post* in *postexac*, cum ablativo constructa est: *Ob eizois* enim sic est in plurali numero positum, quemadmodum *ab oloes* apud Paulum Diaconum pro *ab illis*. *Com atrudiacud*, sicut *compreivatud* v. 15 sq., cum infinitivo *acum* (*agere*, pro quo in Heracleensi quoque tabula *acere*, quemadmodum apud Paulum Diaconum *acetare* pro *agitare* legitur) conjunctum, si *trutum* v. 15. recte *frustratum* interpretatus sum, *cum fraudulento* significat; *pru medicatud* vero *pro compensato*, si *medicatinom* v. 16. compensationem designat. *Manimasepum*, e casu determinativo *manima* pro *manu* compositum, Latino quidem *mancipio* respondet, sed, licet pronomen *eizazunc*, sicut *ezum* v. 10., pro neutro genere accipi possit, *him* tamen v. 25. pro *im* (*eum* secundum Paulum Diaconum) in masculino genere est positum. *Eizazunc* ex *ezum* per reduplicationem factum, sicut *emem* apud Paulum Diaconum vel *imem* in glossis, τὸν αὐτόν (*eundem*) significat: unde in Iguvinis quoque tabulis adverbia ερδερδεκ et ερδαρδεντ sive ερδερδερδεντ ab ερδεκ et ερδεντ eodem modo distinguere licet. *Egmazum* infinitivus compositus esse videtur pro ἐκμάζειν sive *exquirere*; *exaiscen* vero idem significat quod *en exaisc* (*in istis*) scil. legibus a Censore scriptis. *Pas ligis scriftas* genitivi singularis sunt, quia *set* Latino *sit* respondet: *nep him*, si sic recte legitur, tam singulariter pro *nec eum* scriptum est, quam *nec erim* apud Paulum Diaconum. *Pruhipid* contextus verborum poscit, ut pro subjunctivo *repetat* positum accipiatur: reliqua vero jam supra tam multis verbis illustrata sunt, ut versionem totius capitis addidisse sufficiat: quartum caput enim nimis mutilatum est, quam ut suppleri possit sine vana hariolatione.

Pon cenetur Bansae tavtam censazet, pis oevs Bantins fust censamur,
Quum censitor Bantiae censum censuerit, quis(quis) civis Bantinus fuerit censendus,
esuf in eituam poizad, licus, (p)aisc cenetur censaum anget, uzet;
exhinc in aerarium pensat, legibus, quibus censitor censere adigit, pareat;
avt svae pis cenetomen nei efb(e)nust dolud mallud,
atque si quis ex censito non exsolverit dolo malo,
in eizeic vincter esuf comenei lamatir pru meddixud tovtad praesentid
et sic vinculis exhinc erga commune laxatis pro magistratu in censu praesentat
perum dolum mallom, in amiricatud allo famelo inei sivom pafiteizeis fust,
per dolum malum, et emercato alio famulo tum suo perfidiosus fuerit,
pae ancenste fust, tovtico estud.
qua(lege) censitum fuerit, prorsus esto.

Pr. svae praefucus, pod post exac Bansae fust,
Porro si praetexuerit, quod posthac Bantiae fuerit,
svae pis op eizois com atrudiacud acum herest,
si quis ob haec cum fraudulento (homine) agere volet,
avti pru medicatud manimasepum eizazunc egmazum,
atque pro compensato mancipium idem exquirere,
pas exaiscen ligis scriftas set, nep him pruhipid mais zicolois X. nesimois.
cujus ex istis legis scriptae sit, nec eum repetat magis (quam) judiciis X. continuatis.
Svae pis contrud exeic pruhipust, molto etanio estud n. Ⓜ,
Si quis contra in isto repetierit, multa justa esto n. M.
in svae pis ionc meddis moltaum herest, licitud:
et si quis eum magistratus multare volet, liceto:
ampert mistreis alteis eituas moltas moltaum licitud.
una cum magistris altis aerarii multae multare liceto.

Pars II. Capuae Messanaeque inscriptiones.

E Capua et Messana praeter nummos, quos, quia satis noti sunt, silentio praetereundos censeo, singulas modo inscriptiones quinorum versuum brevium et ejusdem fere argumenti habemus, quarum altera Oscis, altera Graecis literis exarata est. Oscas literas inter alphabeta secundae tabulae recensui: propter varias tamen causas non ita facilis est utriusque inscriptionis interpretatio.

1. Campana inscriptio e Capua. Tab. I.

Campana inscriptio per omnes versus adeo mutilata est, ut inde summa nascatur interpretandi difficultas: integra tamen fit sententia, si eae suppleantur literae, quas in tabula I. punctis notavi. Praeter literas aliquot in tribus extremis versibus deest quidem finis primi secundique versus; is vero paucis literis suppletur, si nihil deest in fine tertii quartive versus. Etsi tertius versus non clauditur punctis, quibus singula verba distingui solent, hoc tamen propterea offendere nequit, quod eadem desunt post primum secundi versus nomen μεδδισς more solito in μεδ. abbreviatum: unde in extremo quoque versu νεσσιμας pro νεσσιμα σ(εντ) scriptum puto, quod ad σακρα referatur.

Exa hic significat; secundum verbum inscriptionis vero τρισιιδ legendum esse, inde suspicor, quod numerus III post τρις pariter displicet, atque triplex ejusdem vocalis *i* repetitio, τρισιιδ autem verbum est, quod contextus cum reliquis poscit. Quoniam inde accusativus σακρα v. 3. dependet, verbum istud per metathesin ex Umbrico *dirso* pro *dico* natum conjicio, unde tam imperativus *dirstu* quam participium *dirsa(n)s* in Igu-

vinis tabulis legitur. In fine primi versus breve quoque nomen interiisse vix crediderim, etsi in secundo versu legitur *Μεδ. ΚαπΓα*, quo, sive *ΚαπΓας* in genitivo casu positum putes, sive *ΚαπΓανς* adjectivum accipias, quemadmodum in Bantina tabula *cevs Bantins* (*civis Bantinus*) et in Pompejana aedis Isidis inscriptione *ΚΓαισστερ Πεμπαιιανς* (*Quaestor Pompejanus*) legitur, Campanus magistratus significatur. *Meddis* in Bantina tabula una *s* finali scribitur; hanc autem in Capuensi inscriptione, sicut in Herculanensi factum est, geminandam puto, quia *νεσσιμα* quoque v. 5. pro *ηesima* adjectivo Bantinae tabulae scriptum videtur. Vis quidem vocabuli non est prorsus eadem, quum contextus verborum flagitet, ut *νεσσιμα sollennia* significet; sed sollennia dici solent, quae quotannis repetita continuantur. *Πεσε* in Iguvinis tabulis *sicut* significat, quemadmodum *σε* vel *σι*, quod in fine nostrae inscriptionis supplendum videtur, pro *σεντ* (*sunt*) ponitur. *Εκα* vero v. 4. pro ablativo feminini generis (*hac*) accipiendum est, ut cum *εμιια* h. e. *δμάδι* sive *universitate* jungatur. *Universitatis* secundum Marcianum in Digest. lib. I. tit. 8. leg. 6. sunt communia civitatum; *sacrae* autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt. Hinc *εκα εμιια* pro *hac in civitate* positum puto, totaque inscriptio sic est vertenda:

Εκα τρισαδ Μεδ. ΚαπΓα(ν)ς σακρα, πεσε εκα εμιια νεσσιμα σ....

Hic dicat Meddix Campanus sacra, sicut hac in civitate sollennia sunt.

2. *Mamertina inscriptio e Messana.*

Innotuit mihi haec inscriptio e Castelli opere, quod inscribitur *Siciliae et objacentium insularum veterum inscriptionum nova collectio: prolegomenis et notis illustrata et iterum cum emendationibus et auctariis evulgata Panormi typis regiis* 1784. Ibi pag. 60. numero XLVI in inscriptionum divisionis classe V. Graecis literis exhibitae inscriptioni post nomen *Messanae* haec verba superscripta sunt: *Edidit primus Gualterius* n. 7. *emendatiorem tamen dedit C. Dominicus Gallus in Annal. Messan. Vol. I. pag. 16. adpar.* Inscriptio ipsa sic exhibetur:

ΣΤΕΝΙΣ ΚΑΛΙΝΙΣ ΣΤΑΤΤΙ Η ΙΣΑ
ΜΑΡΑΣ ΠΟΜΠΙΔΑ ΤΙ ΕΣ ΙΥΜΩ ΖΙΗ ΚΕ
ΜΕΔΔΕΙΞ ΟΥΦΕΝΣ
ΕΙΝΕ ΙΜΑ ΤΩΣ ΤΟ ΜΑΜΕΡΤΙΝΟΝ
ΑΠΠΕΛΛΟΥΝ Η ΙΣΑ ΚΟΡΟΝ

Quum Zancle Siculorum, a Messeniis colonis Messana nominata, priscis jam temporibus Chalcidensium e Cumis colonia esset, Mamertinos, qui Messanam occupaverant, non solum Graecorum vocabula in linguam suam recepisse, sed verba quoque Graecorum more flexisse, ut propria quaedam dialectus exsisteret, naturae consentaneum est. Verumtamen hoc non in eum modum factum puto, ut Osci Graecum quoque articulum recepe-

rint vel augmentum syllabicum verbi *εινειμα* pro *ἔνειμε* admiserint: hinc non in quarto solum versu, sed aliis quoque locis singula verba perperam distincta suspicor. Etiam *τωFτο* quam *τωστο* scriptum malim, ut *totum Mamertinum nomen* designetur, sed in multis aliis quoque mutatio quaedam Graecorum commercio effecta cernitur. Nominum *Στενις Καλινις* terminatio est eadem, quae in Herculanensi et Pompejana inscriptionibus pro *ius* legitur, atque id quoque Campanis sollenne fuit, ut duo nomina gererent in *ius* desinentia. Demagogus quidem Himerensium apud Plutarchum in Pompejo 10. *Σθένις* scribitur, sicut Olynthius nobilis statuarius in Lucullo 23.; sed secundum Festum s. v. *Mamertini* ipse Samnitium princeps, quo auctore Mamertini patria excedere jussi sunt, *Sthennius Mettius* dicebatur. *Sthenius* Thermitanus, cujus nomen in Himerensi inscriptione apud Reinesium II, 46., sicut apud Livium XXXIII, 8., *Stenius* scriptum est, saepius memoratur a Cicerone in Verrinis orationibus, idemque nomen *Stennius* scribitur in tabula lapidea Puteolis effossa apud Reinesium V, 23. pag. 371. et in inscriptione Acerrana apud Orellium n. 3716. Quemadmodum Stenius noster *Καλινις Σταττι* dicitur, sic *Statia Caleni* legitur apud Gruterum DCCCXXX, 4.; *Stenium Statilium* contra *Statium Statilium*, Lucanorum Bruttiorumque ducem in eo bello, quo gemini populi Thurinae urbis petebant excidium, Val. M. I, 8, 6. 280 a. c. n. Plinius H. N. XXXIV, 6(15). vocavit. *Caleni* nomen a Campaniae quidem municipio deduci potest, quemadmodum *Ufenas* vel *Ουφενς* in inscriptione nostra secundum Varronem L. L. VIII, extr. ab Ufente fluvio derivatur, atque *Olenus Calenus* dicebatur celeberrimus olim vates Etruriae apud Plinium H. N. XXVIII, 2(4).; sed *Calenius* legitur apud Ciceronem ad Att. VIII, 12. C. 1. atque *T. Calinius Marcellus* Fano Fortunae apud Gruterum CCCI. Sic *Statii* quoque nomen Liv. XXIV, 19. in Nolana inscriptione apud Gruterum CCCXVII, 5. *Stattii* scribitur: designat autem *Σταττε* in genitivo casu positum patris nomen, quoniam Osci, ut e Pompejanis inscriptionibus discimus, nomen illud, quo *filius* significabatur, omittere solebant. *Ηισα* tam in primo, quam in postremo versu una voce jungendum est pro *eisa*, quod idem significat atque *exa* in Capuensi inscriptione; *Μαρας* vero genitivus est ejus nominis, quod *Μάρης* scriptum est apud Aelianum Var. H. IX, 16., qui quidem *Μάρην*, quasi Gallicum nomen esset *March* (*equus*) apud Pausan. X, 19., *ἱππομυγῆ* sive Centaurum interpretatur; sed rectius alii Ausonum *Martem* intelligunt, unde *Marius* secundum Plutarchum in Mario 46, 3. Martis filius nominatus est. An *Marrus* quoque, unde Silius It. VIII, 507. *Marsorum* oppidum *Marruvium* deducit, *Mavors* sit, affirmari nequit; sed *Maricae* conjugem Faunum apud Virgilium A. VII, 47. Appianus lib. I. in Excerpt. ex Photio Martis filium dicit, quemadmodum Posidonius apud Plutarchum in Marcello 1. Marci filium *Marcellum* *Ἀρήϊον* interpretatus est. Sic *Ancus Marcius*, a quo sunt *Marcii Reges* secundum Caesarem apud Suetonium Caes. 6. et *Marcius Coriolanus* secundum Plutarchum in Coriol. 1., est *θεράπων τοῦ Ἄρεος*, ad

quem alludit Silius It. XIII, 100. unde Plutarchus in Numa 21. *Marcios* et *Mamercinos* confudit. *Mamercus* enim secundum Festum praenomen Oscum est ab eo, quod hi Martem *Mamertem* quoque appellabant, unde idem *Mamertinos* nomen accepisse testatur, quod, cum Messanensibus auxilio venissent, conjectis in sortem duodecim deorum nominibus, Mamers forte exierat. *Πομπιδα* Graeca flexione *πομπειαν* sive *pompam* significat, unde Pompeji nomen acceperunt; *τιεσι* vero, cum *ζιη* per *υμω* conjunctum, pro Campano *τρισιιδ* (*dicat* sive *dicuvit*) positum videtur, quemadmodum in Iguvinis quoque tabulis *ditu* pro *dirstu* scribi solet. Mamertini enim Graecorum more verborum literam finalem *δ* sive *τ* abjiciebant, neque solum *ζιη* pro Latino *sivit* sive *permisit*, sed etiam *ειναιμα* v. 4. pro Graeco *ἔννειμε* sive *sanxit* dicebant. *Υμω* quidem pro Graeco *ὁμοῦ*, Umbrico *somo* in Iguvinis tabulis VI, b, 9 sq. sive *σεμε(λ)* II, 1. V, a, 15. 27. atque Latino *simul*, positum esse videtur; sed in Abellana quoque inscriptione I, 10. *υμ* pro *ὁμῆ* (*similiter*) usurpatum legitur. Illud vero Graecorum commercio effectum puto, ut *κε* pro *pa* sive *qua*, quemadmodum Ionice *κῆ* pro Dorico *πᾶ*, unde *καὶ* quoque conjunctio sive *que* Latina nata est, dici soleret. Sic etiam *τωFτο Μαμερτινον* Graeca flexione pro *tovtom Mamertinom* (nomen) et *αππελλουν* pro infinitivo *appellum* scriptum est. Est quidem verbum Laconicum *ἀπελλάζειν* pro *ἐκκλησιάζειν* apud Plutarchum Lyc. 6., a nomine *ἀπελλαὶ* (*ἐκκλησίαι* apud Hesychium) deductum, unde Macedonum mensis *Ἀπελλαῖος* nomen accepisse putatur: idem verbum apud Hesychium Ionice *ἀππαλλάζειν* scribitur, unde *ἀπάλλαχας* sive *ἀπελλαχάς* Hesychius *ἱερῶν κοινωνούς* interpretatur. Sed *appellum* Oscum rectius cum Latino *appellere* comparatur, quatenus pro *assilire* sive *assultare* usurpatum est, unde *pulsare choreis* pro *saltare* dicebatur: in Iguvinis enim tabulis *αζπελτα στασιτατα* I, 8. V, b, 19. a, 32. post imperativum *α(ῆ)τζεπεδζατα* sive *tripudiato* pro *pelsatu* (*ballizato*, *saltato*) VI, a, 40. ad Siculorum *βαλλισμόν* referendum est, unde *αππελλουν χορον* significat *saltare* sive *agere chorum*. *Κορον* Graecorum *χόρον* esse, dubitari nequit: Osci enim, ut omnes fere Itali, aspiratione abjecta *κ* pro *χ*, sicut *τ* pro *ϑ*, dicebant. Totam igitur inscriptionem sic vertendam censeo:

Στενις Καλινις Στατιι ηισα Μαρας πομπιδα τιεσι, υμω ζιη,
Stenius Calinius Statii (filius) hic Marae pompam dicavit, simul sivit,
κα Μεδδιξ Ουφενς ειναμα, τωFτο Μαμερτινον αππελλουν ηισα χορον.
qua Meddix Ufens sanxit, totum Mamertinum (nomen) agere hic chorum.

Pars III. Herculanenses et Pompejanae inscriptiones. Tab. II.

Herculanensium inscriptionum duas modo novi brevissimas, quarum una in abaci superficie media, altera in abaci ora summa legitur; Pompejis vero plures tam breviores quam longiores repertae sunt, bilingues quoque, non omnes tamen distinctis satis literis.

1. *Herculanenses abacorum inscriptiones.*

In abaci cujusdam superficie media duo modo verba leguntur quam nitidissime scripta: *Herentateis sum*, quorum hoc prorsus Latinum est, illud genitivus ejus nominis, cujus accusativum *herentaten* altera continet inscriptio. Quum *herest* Osce pro *χαιρήσει* sive *volet* dici soleret, *herentas* inde sic deducta, quemadmodum *voluntas* Latinorum a *volet*, *χάρισμα* designasse videtur. Recte igitur illa inscriptio verti potest: *Gratificationis* (*opus*) *sum*, quemadmodum in Iguvinis tabulis III, b, 8 sqq. *herti* sive *χάριτι* (*muneri*) dicantur donata. Longior est altera inscriptio, quae, punctis quibusdam mutatis, sic legenda videtur: *L. Slabiis Laukil Meddiss tuvtiks herentaten Herukinai pruffed.* In hac inscriptione unus modo *Meddiss tuvtiks* sive *Mediastuticus* memoratur, *L. Slabius Lucilius* vocatus, quemadmodum *medixtuticus* Livii XXIII, 35. *Marius Alfius*, alter XXVI, 6. *Seppius Lesius*, tertius XXIV, 19. *Cn. Magius Atellanus* dicitur.

Si *L. Aukil* recte scriptum esset, haec essent nomina patris; sed *Aucilii* nomen, etsi *Acilii* et *Otacilii* satis noti sunt, equidem ignoro: nam *Aucillium* et *Aucilliam Marcellam* Reinesii XII, 5. *Ancillium* et *Ancilliam* exhibet inscriptio: *Laukil* contra pro *Lucilio* scribi potuit, quemadmodum in Bantina tabula *savci* sive *sauci* pro *socio* legitur. Accedit, quod inscriptio nostra omni nominum praeter *Lucii* praenomen abbreviatione caret: unde *Laukil* non e genitivo abbreviatus est, sed pro Lucilio scriptus eodem modo, quo *Mutilus* in nummis Samniticis *Mutil* et *famulus* secundum Paulum Diaconum *famel* nominabatur. Idem nomen a Graecis *Λευκίλιος* scribi solebat, quod non solum equiti Romano e Suessa Auruncorum oriundo, satirarum illi scriptori, fuit, sed duci quoque, a quo apud Paulum Diaconum *Lucani* appellati dicuntur, etsi rectius fortasse Eustathius ad Dionysii Perieg. 366. coll. Plin. H. N. III, 5. (10.) annotavit: *Ἡ δὲ τῶν Λευκανῶν πόλις Λευκάνη βαρυτόνως ἐλέγετο ἀπὸ Λευκίου τινός.* *Lucilius Hirpus* quoque apud Varronem R. R. II, 1. 2. legitur, quem male *C. Luccejum Hirrum* interpretantur. Secundum Servium ad Virg. A. IX, 570. lingua Osca *Lucetius* est Jupiter sive Diespiter dictus a luce, quam praestare dicitur hominibus: hinc praenomen *Lucius* quoque Oscum est, sed *Laukiis* scribendum, quemadmodum *Slabius*, unde tam *Labieni* quam *Labeones* Romanorum deducendi videntur, *Slabiis* scribitur. *Herukinai* dativus est pro *Erycinae*, quemadmodum in latere coctili apud Marinium *Atti* p. 418. VENERVS HERVC. pro *Veneris Erycinae* legitur. *Pruffed* sive *prufid* in Bantina tabula V, 30. interpretandum esse *probavit*, Iguvinae tabulae docent, ubi *πρόσφε* III, a, 27. *proba* significat. Tota igitur inscriptio vertenda erit:

L. Slabiis Laukil, Meddiss tuvtiks, herentaten Herukinai pruffed.

L. Slabius Lucilius, Meddix tuticus, gratificationem Erycinae probavit.

2. *Pompejanae inscriptiones variae.* Tab. II.

A. E Pompejanis inscriptionibus, ut a brevioribus similis argumenti ad longiores progrediar, primum duas illas illustrare liceat, quas Orellius in sua inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectione Vol. II. n. 3804. minus recte Latinis literis transcripsit atque explicavit. Eaedem in nostra tabula II. Oscis literis exaratae sunt, altera e Rosini dissertationis isagogicae ad Herculanensium voluminum explanationem parte I. tab. XIX., altera e Pompejanis *by Sir William Gell and John P. Gandy, Architect.* (Lond. 1817 — 1819.) pag. 138. Utraque quam nitidissime exarata est: nihilo secius in prioris initio non solum puncto caret abbreviatum praenomen, sed NI quoque pro simplici N h. e. N(umerio) vel pro M(arco) scriptum videtur. Apud Romanos quidem secundum fragmentum libri de nominibus ad calcem Valerii Maximi *Numerii* praenomine sola patricia familia usa est Fabia iccirco, quod trecentis sex apud Cremeram flumen caesis, qui unus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium uxore filii Numerii Otacilii Maleventani sub eo pacto, ut, quem primum filium sustulisset, ei materni avi praenomen imponeret, obtemperavit. Sed ex hoc, quod Festus quoque scripsit, agnoscitur Oscorum mos, unde duo plerumque nomina in *ius* desinentia gerebant; ceterum e Varronis verbis in Catone sive de liberis educandis apud Non. M. IV, 319. pag. 352. ed. Merc. »Ut, qui contra celeriter erant nati, »fere *Numerios* praenominabant, quod, qui cito facturum quid se ostendere volebat, dicebat, »numero id fore, quod etiam in partu precabantur Numeriae, quam deam solent indigitare »etiam Pontifices« discimus, Numerii praenomen pariter atque Marci in usu vulgari fuisse apud Italos Oscae originis. Cf. Cicero pro Cluentio VII, 21.

Quemadmodum in altera inscriptione ex Oscorum more nominibus *V(elii) Popidii* patris praenomen *Velii* additur, sic post *N. Trebii* nomina patris nomen *Tr(ebii)*, a *Treba Jovia* Umbrorum sive *Trivia* Romanorum derivandi, repetitur: est autem abbreviatum, sicut appellatio *Med(diss) tuv(tiks)*, quoniam filius jam *Trebiis* scriptus antecedit. Alter versus unum verbum *aamanaffed* continet e praepositione *aa*, qua Umbri quoque in Iguvinis tabulis pro *aha* sive *ἀμφί* utebantur, et praeterito *manaffed* (*moenivit* sive *munivit*) compositum; quid autem verbo *circummunivit* designetur, docet Reinesius I, 125. ad inscriptionem Bovillanam apud Orell. n. 1515., in qua legitur: *Aediculam, aram, septum clusum, vetustate diruta restituit.* Ne repetam, quae Reinesius ibi satis prolixe disseruit, addam solum, quae Varro L. L. VII, 13. extr. scripsit: »*Extemplo* est *continuo*, quod omne templum esse debet continuo septum, nec plus unum introitum habere.« Quod a Varrone *continuo septum*, id a Paulo Diacono *consiptum*, clavis praefixum, secundum Ennium vocatur; est igitur *περίβολος* sive *περίφραγμα*, tota vero inscriptio sic vertenda:

N. Trebiis Tr. Med. tuv. aamanaffed.

N. Trebius Tr(ebii filius) Meddix tuticus septo conclusit.

B. In altera inscriptione, Pompejis A. 1813. majusculis literis in marmore albo reperta, quam Micalius quoque in opere: *Monumenti per servire alla storia degli antichi popoli Italiani* cet. inscripto (*Firenze* 1832. *tav.* CXX, 3.) exhibuit, additur *Isidu profatted* h. e. *Isidi consecravit* sive *dicavit*: in quo *Isidu* determinativus casus est, alias *Isidum* scriptus. *Profatted* praeteritum Latino *profanavit* respondet, de quo Varro L. L. VI, 54. »*Fana* nominata, inquit, quod Pontifices in sacrando *fati sint* finem: hinc *profanum* est, quod ante fanum conjunctum fano: hinc *profanatum*, quod in sacrificio fanatur, id est, ut fani lege sit.« In his Varro *profanatum* appellasse videtur, quod diis primo oblatum, mox distributione profanandum sacrum fuit: unde *profanare*, sicut ex iis quoque Verrii Flacci verbis, quibus Festus s. v. *porriciam* contradicit, intelligitur, significat etiam *ante fanum statuere et oblatum diis dedicare.* An *V.* praenomen, et filio et patri commune, *Velius* explicandum sit, quod Tuscum proprie praenomen est, in dubium vocari potest, etsi *Velia* Lucaniae oppidum atque historicus ille a Decio Magio, Campanorum principe nobilissimo, oriundus *Vellejus Paterculus* dicitur: nam secundum Valerii Maximi epitomen de nominum ratione supra laudatam apud Romanos *Volero* in praenomen abiit, quod volentibus nasci liberis parentibus indebatur, atque *Volesus* dicebatur Sabinus ille Valesius, qui Valeriae gentis auctor secundum Dionys. Halic. II, 46. cum Tatio rege Romam venit. Etiam *Popidii* nomen varie scribitur: Marsorum ducem enim Silonem, bello Italico celeberrimum, Florus III, 18, 6. cum Plutarcho Mar. 33, 2. et Orosio V. 18. *Popedium*, Vellejus II, 16. *Popaedium*, Valerius Maximus III, 1, 2. *Poppedium*, Strabo V, 4, 2. Πομπέδιον, Appianus B. C. I, 40. cum Plutarcho Cat. min. 2. Πομπαίδιον, quemadmodum Livius epit. 76. *Pompaedium*, Diodorus Sic. epit. 37, 1. vitiose Πομπαῖον, imo Plutarchus in Apophth. p. 762. Πόμπιον (cf. Fr. Oudendorp. ad Obsequent. Prodig. c. 116.) nominavit. Sic Gruterus CCCCLVII, 9. et DCCCCLI, 13. in inscriptione Buccini Lucaniae *Popedium* vel *Poppaedium* exhibet, etsi *Popidius* quoque scribitur in inscriptione Capuensi apud Reinesium XIII, 39. Quamvis varie scribatur *Popidii* illius nomen, prima tamen syllaba *po* legenda est, unde *V* literam, quotiescumque punctum sive lineola transversa inscribebatur, quod quidem in Herculanensibus inscriptionibus neglectum est, pro *O* accipiendam esse intelligitur. Ceterum *Popidium* rectissime scribi, Latinae inscriptiones docent Pompejorum parietinae apud Orellium n. 2556. 2557. 3709., illa praecipue, quae in introitu ad Isidis aedem inventa tam Numerii praenominis usum quam Popidiorum de aede Isidis Pompejanae optime merita testatur.

N. POPIDIVS N. F. CELSINUS‖AEDEM ISIDIS TERRAE MOTV‖CONLAPSAM‖ A FVNDAMENTO P. S. RESTITVIT. HVNC‖DECVRIONES OB LIBERALITATEM CVM ESSET‖ANNORVM SEXS ORDINI SVO‖GRATIS ADLEGERUNT.

In hac inscriptione praeter praenomina *N(umerius)* et *N(umerii) F(ilius)* nihil omnino

abbreviatum est, nisi *P. S.*, quod Orellius *pecunia sua*, a patre scil. ei subministrata interpretatur, equidem vero, quum in alia inscriptione (*Bullettino dell' instituto di corrispondenza archéologica per l'anno* 1835. *pag.* 28) inverse verborum ordine legatur: BALneVM VETVS*tate collapsum* ‖ SVA PECVNIA *restituit*, secundam verba Volscae inscriptionis EC SE COSVTIES (*ex se consuntis*) *P(roprio) S(umptu)* interpretari malim (cf. Orell. n. 3848 et 3849). Nihilo secius praeter eos, quos Orellius laudavit, Guarinius quoque, teste Lepsio in *Bullettino dell' inst. di corr. arch. per l'anno* 1836. *pag.* 127., nescius *sexs* pro *sex* eodem modo scribi, quo *fratrexs* pro *fratrecs* in Iguvinis tabulis VII, b, 1. ex rationibus partim epigraphicis partim juridicis, non minus vanis, *sexaginta* supplendum censuit. Sed ne longior sim in Latinis inscriptionibus, et ea, quae huic sententiae contradici, et ea, quae adjici possint, libens omitto, nihil addens nisi Pompejanae inscriptionis Oscis literis exaratae versionem:

V. Popidiis V. Med. tov. aamanaffed, Isidu profatted.

V. Popidius V. (filius) Meddix tuticus septo circumclusit, pro Isidi profanavit.

C. His inscriptionibus similem e Micalii opere supra laudato addere liceat, quam e tab. CXX, 9. (coll. *Clarac. Pompej.* p. 84. *t.* 14. *Mazois Ruines de Pompei tab. XXXVI* sq.) in tab. II. cum fragmine arae Oscis literis *Fluusai* h. e. *Florae* inscriptae, in eadem Fauni, quae dicitur, domo a. 1831. reperto, ex mea opinione suppletam dedi. Supplendi lex mihi fuit ea observatio, ut, quum in tribus prioribus versibus praeter praenomina nullum vocabulum abbreviatum vel literis ligatis exaratum esset, quod utrumque flagitabat in extremo versu spatii angustia, singulis versibus eadem latitudo daretur, quam *Quaestoris* appellatio in secundo versu definit. Hinc in *Purii* nomine unam modo, in patris contra duas literas, quibus *Marous* plerumque scribitur, supplevi, non contradicturus ei, qui Purii nomini aliunde ignoto *Spurium* praeferet, qui in Nolana inscriptione apud Reinesium XVIII, 118. legitur. Tertius versus genitivum continet ab ablativo abbreviato *tangin(ud)* pendentem, quo verba *decurionum decreto* designantur saepe repetita in Latinis Pompejanis inscriptionibus; sed quid Osce supplendum sit, certo definiri nequit. Ultimum inscriptionis verbum *aamanaf(fed)* esse supplendum, nemo dubitabit: hinc tota inscriptio sic vertenda videtur:

[*S*]*purius* [*Mr.*] ‖ [*K*]*vaisst*[*ur*] ‖ [*e*]*mparai*[*is*] ‖ [*ta*]*ngin(ud) aamanaf(fed).*

Spurius M. (filius) Quaestor decurionum decreto septo circumclusit.

D. In porticu aedis Isidis Dorica duae inscriptiones repertae sunt, quas Micalius nitidioribus magis quam verioribus literarum ductibus sub n. 4. exhibuit, unde rectiorem Gellii descriptionem praeferendam putavi. In illis litera *s* a vocali *s* puncto semper inscripto discernitur; quod vero *i* litera, sicut etiam in inscriptionibus modo illustratis, interdum lineolam transversam habeat, hoc nullam aliam ob causam factum videtur, quam ne pro numeri notis acciperentur similes literae. Osces enim, quemadmodum Imperatorem

Claudium apud Romanos, ⊦ pro Y scripsisse, refellitur Abellana tabula, in qua non solum utraque litera, ut in KATYI II, 7., conjuncta, sed in iisdem quoque vocibus, ut *tribarakkiuf namu ittiuf* I, 11 sq. 16 sq., tam IV quam ⊦Y scripta legitur. Notanda est praeterea vocalium geminatio in nominibus *Aadirans* et *Viinikiis, tristaamentud* et *triibom*, qua si syllaba producta significaretur, *triibom* priorem syllabam productam haberet; at in *paamvereiiai Pompaiianai*, sicut in *Kvaisstur Pompaiians* (*Quaestor Pompejanus*), duarum *ii* altera est consonans. *Vinicii* nomen, quod Tiberii genero fuit e Calibus orto (Tacit. A. VI, 15.), satis notum est e Velleji Paterculi historiis ad eum scriptis; *Aadirans* vero *Aterianus* esse videtur, quemadmodum *Aadiriis*, quem infra legemus, *Aterius*. Alter *eitiuvam*, alter *opsannam* dedisse dicitur, et priori quidem verba *eisak eitiuvad*, posteriori *Isidun profatted* adduntur. *Opsanna* igitur pro Iside profanata non potest esse *obsonium*, sed, sicut *eitiuva* sive *αἰϑουσα ἐν αἰϑούσῃ* secundum Varronis locum L. L. V, 33. »*Domus* Graecum, et ideo »in aedibus sacris antecellam, ubi sedes dei sunt, Graeci dicunt *πρόδομον*, quod post, *ὀπι»σϑόδομον*« Bantinae tabulae *eituam* sive *πρόδομον* significat, *ὀπισϑόδομος* est sive posterior aedis cella. Isidis aedes enim podio aulae mediae, porticu Corinthia circumdatae, imposita est, neque solum ante cellam porticus Corinthia tetrastylos conspicitur, verum post aedem quoque parvum aedificium cum ara, sicut aliud cum puteo, in sacros usus destinatum. Dativis *paamvereijai Pompaijanai* designatur sacra Pompejanorum concio quasi *πανίερος πανήγυρις*: in Iguvinis enim tabulis tam *παντα* pro *omnia* quam *Fεḙες* sive *ver(e)ir* pro *feriis* legitur. Ablativus *tristaamentud*, a verbo intensivo *tristo* pro *triso*, Umbrico *dirso* (*dico*), deductus, pro *dirstamento* sive *dedicamento* positus est per metathesin, quemadmodum e contrario Paulus Diaconus *termentum* apud Plautum Bacch. IV, 9. 5. *detrimentum* interpretatur. *Eisac* flexione quidem non differt ab adverbio *ηισα* (hic), quod in Mamertina inscriptione legimus, sed ablativus est pronominis demonstrativi, cum *eitiuvad* jungendus; *ekak* contra post *triibom* in determinativo casu positum non differt ab adverbio *eka* in Capuana inscriptione. *Kombennieis* genitivus est ab ablativo *tanginud* (*decreto*) pendens, sicut *emparakiis* in inscriptione supra explicata: est autem *kombennium* ab Umbrorum *beno* sive Graecorum *πένω* (*operor*) deducendum, ut sit *συμπονούντων* sive *συνεργῶν* collegium, *combennones* igitur non tam eadem benna sedentes, sicut Paulus Diaconus s. v. *benna* interpretatur, quam collegae sint. Itaque duas illas inscriptiones sic vertendas censeo:

I. *V. Aadirans V. eitiuvam paamvereijai Pompaijanai tristaamentud deded eisak eitiuvad.*
V. Adiranus V.(filius) porticum concioni sacrae Pompejanae dono dedit hac in porticu.

II. *V. Vinikiis Mr. Kvaisstur Pompaijans triibom ekak kombennieis tanginud*
V. Vinicius M.(filius) Quaestor Pompejanus pro tribu hic collegii decreto
opsannam deded, Isidum profatted.
posticam cellam dedit, pro Iside profanavit.

E. Micalius sub n. 5. duas inscriptiones breviores exhibuit, A. 1830 in muro vici, qui Mercurii vel rhetoris dicitur, repertas, quarum priorem bilinguem Gellius in Pompejanis suis Vol. II. p. 187. Oscis modo literis descripsit, quum primum quidem vocabulum *emens* clare legatur, reliqua vero propemodum obliterata sint. Apud Micalium prior Osca inscriptio est: *V. Mens Melissai*, addita Latina *C. Melissaeum*: Gellius nihil descripsit nisi *Emens Meiissaii*. Etsi Gellius primum nomen clare scriptum profitetur, Avellinus tamen in *Bullettino dell' instituto di corrisp. arch. per l'anno* 1831. p. 14. duas literas in initio inscriptionis obliteratas censuit, ut legendum sit CLEMENS MELISSAII, libertus scil. Melissaei, quemadmodum in alia inscriptione Pompejana legitur FELIX . MELISSAE . FAUSTI. At rectius Micalius scripsit V. MENS: neque enim solum Varronis amicus *Menas* R. R. II, 1, 1. 3, 11. 8, 1. pro *Mens* scribitur, quemadmodum idem Varro *Ufenas* pro *Ufens* scripsit, sed *Minii* quoque gens Campana fuerunt apud Livium XXXIX, 13. 17. 19. Nec tamen *Melissaii* in genitivo casu positum puto, ut patris nomen sit, sed litera *s* finalis omissa est, quemadmodum *G. Paapi* pro Gajo Papio in nummis Samniticis legitur, vel etiam Pompejis in pariete aedium, quae tragici dicuntur, apud Gellium Pompej. Vol. I. pag 144. *Hermiersii*, addita inscriptione Latina IVSTUS ‖ IVCVNDOS HIRMIEROS. Imo Micalius ipse Oscam inscriptionem addidit: *Mm. Herenni Mm. dended* h. e. *Mamercus Herennius Mamerci filius dedit* sive *donavit* *), ubi *Mm.* pro Mamerco scriptum est, quemadmodum *Mr.* supra pro Marco. *Mamercus*, inquit Festus, praenomen Oscum est ab eo, quod hi Martem *Mamertem* appellant; *Herennii* nomen autem saepius legitur in Pompejanis inscriptionibus, ut apud Orell. 3298. et *Bullet. dell' inst. di corrisp. arch. per l'anno* 1833 pag. 146. Praetera multos Herennios ex Oscorum gente Livius laudat, qui XXIII, 43. *Herennium Bassum* quoque et *Herium Pettium* ab Hannone ex Nola ad colloquium evocatos conjungit, quemadmodum apud Vellej. Paterc. II, 16. *Herius Asinius* cum Silone Popaedio et Papio Mutilo inter duces belli Italici recensetur. Ex hujus ducis nomine fortasse explicanda est Osca inscriptio, quam Gellius in Pompejanis suis Vol. I. p. 4., quum vix legi possent literae, bis a. 1814 et 1825 descriptam exhibuit: lego enim MAKVS sive MAGIVS MELISAIS AASINIIS. Quod autem ad Latinam inscriptionem *C. Melissaeum* attinet, quacum comparanda est inscriptio labri marmorei apud Orellium n. 3277. CN. MELISSEO CN. F. APRO, plures inscriptiones Pompejanae ab accusativo nominis incipiunt, verbo *rogat* modo addito, modo prorsus omisso. Ejusdem generis esse videntur Oscae inscriptiones, quas Lanzius *Saggio* T. 2. p. 607 sqq. exhibet, ut *Mansiesim Malketrem* (?) in cippo sepulcrali Musei Nolani, *Veltineisim* et *Kanutiessim* apud Franciscum Danielium, nisi haec pro casibus determinativis accipere malis. Sed quo maxime illustratur nostra

*) *Not.* In Placidi glossis *dandantur* pro *frequenter dantur* legitur.

inscriptio, Pompejis in aedium quarundam pariete partim Oscis, partim Latinis literis scriptum legit Gellius in Pompejanis suis Vol. 1. pag. 144. *MP. KIIIIIIΣ* ‖ SAMELLIVM, eodemque modo legitur in *Bullet. dell' inst. di corrisp. arch. per l'anno* 1833 pag. 146. SAMELIVM ‖ MODISTVM ‖ AED. O.V.F., cujus extremae literae tres varie explicantur apud Orellium n. 3700. *M. Cipius* quaterdecies legitur cum *C. Cipio* apud Reinesium X, 1., sed notissimus est *Cipius παραρέγγων* dictus, quod simulabat dormientem, quo impunitius uxor ejus moecharetur, unde proverbium natum est: *Non omnibus dormio*, cujus meminerunt Cicero ad Fam. VII, 24. 1. Lucilius et Festus.

F. Inter parietinas Pompejorum inscriptiones maximi ambitus est illa, quam in tab. II. e Gellii Pompejanis Vol. II. Append. pag. 206. exhibui tanquam rectius in nonnullis literarum ductibus descriptam, quam quae exstat apud Rosinium P. I. tab. III. dissert. isag. ad Hercul. voll. explanat.. Primum vocabulum *ekuk* ablativus est pronominis demonstrativi cum nomine *anvianud* construendus, quod a *via* deductum ἀμφόδιον sive *vicum* designat. *Eituns* est participium verbi intensivi *itans* sive *versans*, *anter* vero cum dativo *tiurai* (θύρᾳ) constructum non Latinae praepositioni *inter*, sed Graeco adverbio ἐντός (*intra*) respondet. Alii *tiurri* quam *tiurai* legere maluerunt, ut *turris* designetur; sed litera paenultima vocali *a* in versu priore positae magis est similis, quum parva modo lineola desit, quam literae *r* antecedenti, quae in Pompejanis atque Herculanensibus inscriptionibus rotundam formam habere solet.. Praeterea *ti* pro Graeco Θ scriptum videtur, quemadmodum in *eitiuva* pro αἴθουσα. Quod prior *r* ab antecedenti vocali majore spatio sejuncta sit, nullam offensionem habet, quoniam idem factum est in litera *r* vocis antecedentis et in vocali *i* nominum *anvianud* v. 1. atque *Adiriis* v. 4. *Ini*, sicut *inei* in Bantina tabula v. 22., *ibi* sive *tum* significat, *ihu* vero post *veisad* (*visat*) nullo puncto sejunctum *eo* sive *eum locum*, licet *puf* pro adverbio *ubi* potius, quod *pue* scribitur in Iguvinis tabulis, quam pro Umbrico *pufe* (*quando*) VII, a, 43., positum videatur. *Faamat*, si *famel* sive *famulus* inde deducitur, *fungitur officio*, tota vero inscriptio sic vertenda est:

Ekuk anvianud eituns anter tiurai XII. ini veisad ihu, puf faamat Mr. Aadiriis V.
Hoc in vico versans intra fores XII. tum visat eum locum, ubi fungitur M. Adirius V.

Pars IV. Nummi Samnitici cum vasis Nolanis.

Ex nummis, partim Graecis, partim Oscis literis inscriptis, ne in nominibus plerumque abbreviatis atque vel satis notis vel prorsus incertis otium tererem, nonnullos modo Samniticos bello Italico cusos elegi, quorum inscriptiones illustrarem; e vasis vero illa, quorum inscriptiones Gerhardus professor in primo fasciculo: *Neuerworbene antike Denkmaeler des Königlichen Museums zu Berlin* inscripto a. 1836. sub num. 1613—1619 aeri incidi jussit.

1. *Nummi Samnitici bello Italico cusi.*

Inter nummos Osce inscriptos nulli magis memorabiles sunt, quam quos Samnites bello Italico argenteos cuderunt: inscriptiones enim, etsi breves, utiles sunt ad augendam nostram linguae Oscae scientiam. *C. Papius Mutilus*, Samnitium imperator, in illis partim *C. Paapi* (G), partim *G. Mutil* sive *Mutil embratur* dicitur; *Vitelio* vero in casu determinativo pro *Italia* nomine nummorum similium, sicut *Safinim* quoque pro *Samnio*, scriptum legimus, atque discimus inde, Samnites neque ab hastis appellatos esse, quas Graeci σαύνια appellant, neque a colle Samnio, ubi ex Sabinis adventantes consederunt, quemadmodum Paulus Diaconus e Feste excerpsit, sed Samnites quasi Sabellos dictos a Sabinis ortos. *Italiam* jam Hellanicus Lesbius secundum Dionysium Halic. I, 35. Οὐϊτελλίαν nominatam scripsit, quam perperam tamen a vitulo Herculis derivavit. Nam ne a vitulorum quidem pulchritudine et fetu, quod Timaeus in historiis de rebus populi Romani secundum Varronem R. R. II, 5. et Gellium II, 1. scripserat, vocata est Italia, sed ab Italo rege, qui secundum antiquissimos rerum Italarum auctores Antiochum Syracusanum apud Dionysium Hal. I, 35. atque Thucydidem VI, 2. in extremis Bruttiorum finibus novum regnum condidit, quod etiam Aristoteles Polit. VII, 9. in ea Oenotriae ora fuisse dicit, quae Lametico Scylleticoque sinubus continebatur. Italiae nomen Dionysii Syracusani aetate nondum ultra Magnam Graeciam, cujus caput Tarentum fuit, in australi peninsulae litore sitam pertinuit. Sed Romani, qui expugnata Achaeorum urbe Corintho totam Graeciam in provinciae formam redactam Achajam appellare coeperunt, eodem modo, capto Tarento, toti paeninsulae in quatuor provincias divisae Italiae nomen dederunt, cui ab Augusto demum omnis Gallia Cisalpina ad Alpes usque est addita. Eorum exemplum secuti Samnites quoque bello Italico omnes sociorum, qui ab Romanis desciverant, fines *Italiam*, ejusque caput Corfinium, Pelignorum oppidum, *Italicum* seu potius *Vitelium* vocarunt. Etiam Italum regem proprio nomine *Vitlum* esse nominatum, in dubium vocari nequit, quum in Iguvinis tabulis quoque Graecorum *ἰταλοὺς vitlos* dictos legamus: Italum enim e genere Oenotrorum fuisse, qui *Veliam* quoque pro Elea atque *Vibonam* pro Hipponio dixerunt, primus rerum Italarum auctor scripsit. Quum autem Antiochus secundum Dionysium Halic. I, 12. historiae suae de Italo haec subjecisset verba: *Οὕτω δὲ Σικελοὶ καὶ Μόργητες ἐγένοντο καὶ Ἰταλῆται, ἔθνεσι Οἰνωτροι*, Thucydides in eum errorem lapsus est, ut Italum, quoniam sua adhuc aetate in Italia Siculos cognoverat, *Σικελῶν βασιλέα* diceret, quem in *Ἀρχάδων βασιλέα* mutarunt malae notae codices, Dionysii Halicarnassensis pravam de Oenotris sententiam secuti. Nam Servius, etsi ad Virg. A. VIII, 328. Thucydidis Sicanum Iberiae, h. e. Sequanam Galliae, flumen in Hispaniae fluvium Sicorim, atque ad A. I, init. et 533. Italum in Siciliae regem, Sicani fratrem, mutavit, qui ad ea loca venerit, quae fuerint juxta Tiberim, cum optimis tamen codici-

bus Thucydidis *Σικελῶν*, non *Ἀρχάδων*, legit. Idem secundum Cluveri Ital. antiq. init., quum annotasset, Italiam plura nomina habuisse, addidit: »Dicta est enim Hesperia, Au»sonia, Saturnia, *Vitalia*«. Mirum in modum autem omnia confudit Paulus Diaconus, quum scriberet: »*Italia* dicta, quod magnos italos, hoc est boves, habeat: vituli etenim »ab Italis sunt dicti. *Italia* ab Italo rege, eadem ab Atye Lydo putatur appellata«, in quo ad eadem respexit, quae Dionysius Hal. I, 27. et Herodotus I, 94. de Tyrrhenis retulerunt. Reliqua de typis nummorum Samniticorum, tanquam satis nota, prudens omitto, hoc tantum addens, aetatem nummorum e typis agnosci, quum vel Samnitium taurum primo jacentem, at sub duce militari sese attollentem, deinde Romanorum lupum aggredientem, vel duces duorum, quatuor, octo populorum foedus Samnitium ritu sacro ferientes repraesentent.

2. *Vasa Nolana Osce inscripta cum nonnullis aliis inscriptionibus.* Tab. II.

Ne quod Oscarum inscriptionum genus intentatum relinquerem, nummos quidem, quorum magnam copiam in Hannoverano Diurnali numismatico Vol. II, n. 14. recensui, silentio hic praetermittendum putavi, neque tamen ea vasa neglexi, quibus Nolae repertis Gerhardus professor regium museum Berolinense auxit. Is sex inscriptiones Oscas in libri supra laudati tab. II. aeri incisas exhibuit, quarum quidem non ea solum, quae sub n. 1615. Graecis literis a sinistra ad dextram scripta nihil nisi nomen *ΠΥΡΙΝΟν* continet, sed ea quoque Graeca est, quae sub n. 1616. rudes prorsus, verum antiquas Graecas literas a sinistra ad dextram in orbem exaratas ostendit. Nam si ab eo loco, quo prima litera epigraphes duabus lineis in V conjunctis notata est, lectionem incipias, haec ibi verba Graeca agnosces: *ΛΕΝΑΙΣ ΑΝΑΙΡΕ* h. e. *λήναις ἄναιρε* sive *Bacchis attolle et aufer.* Etiam n. 1617. antiquas quidem Graecorum literas ostendit, sed a dextra ad sinistram Oscorum more scriptas, quarum initium lineis semet secantibus # significatur. Secunda illius litera Graeco *Λ* tam similis est, ut VLixeu SIPE h. e. *Ulixeu callide* legendum videatur; at si rudem literae P figuram compares, legendum tibi erit VP. SIPE, quemadmodum in musei Borgiani patera apud Lanzium T. II. pag. 608. n. 5. EPE h. e. AEQVAE LATINAE potius quam EL. ELATINAE legendum puto. *Ipsippe* sive *ipsipe* Paulus Diaconus *ipsi, neque alii* interpretatur; sed quum in vase Nolano *up* legatur a *sipe* puncto sejunctum, comparanda sunt haec Festi verba: »*Supat* significat *jacit*: unde *dissipat* disjicit et *obsipat* »objicit et *insipat* sive *insipit* injicit — — — — far in ollam«, sive potius, ut Dacierius supplet: »*Insipit* etiam dicitur, id est, injicit, pullis farinolam«: apud Paulum Diaconum enim legitur: »*Insipere* farinolam jacere pullis: unde *dissipare, obsipare*, ut, quum rustici dicunt: »*Obsipa pullis escam*«. *Upsipe* igitur pro *obsipa* positum est, nisi literas rudi rasura inscriptas legere malis *insipe*, quemadmodum Pomponius Atellanarum scriptor scripsit:

Fácite ut ignis férvat, ligna *insipite*, far concídite.

atque Varro L. L. V, 22.: »De victu antiquissima *puls*: haec appellata vel quod ita Graeci, »vel ab eo unde scribit Apollodorus, quod ita sonet quom aquae ferventi *insipitur*«.

Reliquarum inscriptionum argumenta Gerhardus recte nonnisi propriis nominibus contineri suspicatus est, recteque vidit, n. 1619. neque *Nerine*, neque *Pherine*, quod prius conjecerat in *Annal. dell' instituto di corrisp. arch.* Vol. VII. pag. 174. coll. VI. pag. 279., sed *Herine* esse legendum, quod quidem cum Radulpho-Rochetto fabricatoris potius quam possessoris nomen agnosco. Ejusdem generis est inscriptio vasculi apud Lanzium T. II. pag. 607. n. 2. MADNI, sive pro *Marinii* sive pro *M. Arinii* nomine accipiatur.

In MAMERTES HVMINIES n. 1614. *Mamertis* praenomen facile agnoscitur, sicut *Marci* in MAR. HIESA ELEM. IGEL. n. 1613. Reliqua nomina obscura sunt, quemadmodum MIAITILNIA in patera Nolana apud Lanzium *Saggio* T. II, p. 608. n. 4. vel TANAS: NIVMERIIS ‖ FRVNTER n. 10. in basi arae non procul a Boviano in Samnio reperta, quanquam NVMERIA VITALIA cum NVMERIO MITALIONI apud Gruterum DCCCXI, 6. atque FRENTRED in nummis Frentanorum apud Micalium legitur. In nominibus aeneae laminae n. 11. PAKIS TINTIRIIS *Paccium* quidem Liv. X, 38. cum Lanzio agnosco, etsi *Pacius* quoque legitur apud Reinesium V, 23. et Gruterum DCCCCXLIX, 10; sed pro *Dentrio*, cui cognominem *Dentriam* Gruterus CCCXXI, 4. exhibet, *Ventidium* intelligere malim: notus est, e nummo quoque cuso, Picens ille P. *Ventidius* Bassus, de cujus natalibus fortunaque mira praeter multos alios Plinius H. N. VII, 42., Vellejus Paterc. II, 65. et Gellius XV, 4. retulerunt. Nomen ATSVII in lamina musei Borgiani n. 14., a dextra ad sinistram lecta, IVSTA est; maxime vero memorabilis est Nolana inscriptio n. 7.

PAAKVL. MVLVKIIS. MARAI. MEDDIS ‖ DEGETASIS ARAGETVD MVLTAS.

Paakul pro *Pacilo* scriptus est, quemadmodum *Mutil* in nummis Samniticis pro *Mutilo*. Apud Ciceronem quidem in Verr. II, 38, 94. 40, 98. Sthenii Thermitani accusator *M. Pacilius* vocatur; sed Romanorum consules quoque *C. Furios Pacilos* scimus atque *Paculla* Campana sacerdos apud Livium XXXIX, 13. legitur. *Mulucii* nomen aliunde mihi ignotum est, isi Corneliorum agnomen *Maluginensis* comparandum putes; *Marai* vero patris nomen videtur, quemadmodum apud Livium IX, 7. Campanus quidam genere factisque clarus *Ofilius Calavius*, *Ovii filius*, dicitur, cf. Liv. IX, 26. *Meddis* hac in inscriptione magistratus est, qui secundum Bantinam tabulam v. 2. *moltam angit* sive *adigit* h. e. secundum Paulum Diaconum *dare cogit*: nam *aragetud* Oscorum more scriptum est pro *adigito* sive supino *adactu*, quod gerundii loco cum accusativo *multas* construitur. *Degetasis* vero *degetasius* dicitur in antiquissima omnium, quae exstant, inscriptione cippi sepulcralis sub imagine Ulyssis reducis ab Argo cane agniti, quam Radulpho-Rochettus in Monumentis suis ineditis, Odysséide LXIII, 1. e museo Borgiano Neapoli descriptam

exhibuit. Quodsi *degetasius* pro *dictans* sive *dictator*, sicut *amasius* pro *amans* sive *amator* dicebatur, *Meddis degetasis* sive *Meddiss degetasius aragetud multas*, quomodo inscriptio cippi apud Radulpho-Rochettum supplenda est, non est princeps decurionum vel decemvirum, quem Muellerus in Gottingensibus recensionibus a. 1834. pag. 173. conjecit, sed dictator multas irrogando praefectus, tota vero inscriptio sic vertenda:

Pacilus Mulucius, Marae filius, Meddix dictator adigendo multas.

Apud Latii quoque populos dictatorem in usu fuisse ordinarium, testis est Milo apud Ciceronem pro Milone X, 27. cf. Orell. n. 4016. Quod autem ad inscriptionem illam attinet, quam Muellerus l. l. circiter quingentesimum annum a. Chr. n. positam censuit, ea nimium truncata est in utraque parte versuum, quam quae sine ulla hariolatione restitui possit, sed jam propter antiquas Oscarum literarum figuras quam maxime digna, ut explicetur, quantum fieri liceat. Muellerus jam recte quidem perspexit, vocalem *i* praeter recentiorem figuram hieroglyphica adhuc trium digitorum manus nota scribi, qualem Imperator Claudius alphabeto suo addidit, neque tamen duplicem ejus figuram notavit, quam *s* quoque consonans habet. E duabus literarum *d* et *k* figuris altera modo rotundior est, sed e duabus literae *m* figuris altera est antiquissima aquarum nota. Etiam vocalis *u* duplici modo scribitur, unde alteram figuram in alphabetis tabulae II. pro *o* notavi; nescio tamen, an in illa voce, quam Muellerus *vennis* pro *uennis* legit, consonans *l* potius accipienda sit, vocesque singulae sic sejungendae, ut inscriptio a nominibus *...niis Oeilennis Niumisieis* h. e. *...nius Oilennius* (*Ovinium* enim intelligere diversa consonantis *v* figura non patitur), *Numisii filius*, incipiat. An in *Kn...* nomen *civis* lateat, affirmari nequit; sed prima vox secundi versus suppleri potest *Mamerkins* h. e. *Mamercinus* sive *Μαμαρκιναῖος*, quemadmodum Stephanus Byzantinus *s. v. Μαμάρκινα* scripsit. Mamarcinam Stephani *Marcinam* esse urbem, inter Sirenusarum promontorium et Posidoniam secundum Strabonem V, extr. a Tuscis conditam et a Samnitibus habitatam, jam alii viderunt. *Ganviis* autem flexione simili atque *dalivius* apud Paulum Diaconum, quod Santra Graecum *δείλαιον* esse putavit, Latino *ganniens* respondet, quatenus a Graeco verbo *γάννυσθαι* derivatur; *laetus* ergo significat, atque cum sequente verbo *perkekbe....* sive potius *perkekie*(*ved*) (h. e. *perquievit* cum reduplicatione Osca) jungendum est, ut verbis *laetus perquievit* idem dicatur, quod Ulyssis reducis in patriam imago supra posita repraesentat. Tota igitur inscriptio sic legi vertique poterit:

...niis Oeilennis Niumisieis, k.... Mamerkins, ganviis perkekie(*ved*):
...nius Oilennius Numisii (filius), civis Mamercinus, laetus perquievit:
Meddiss degetasius ara(*getud multas*).
Meddix dictator adigendo multas.

Pars V. Saxum Abellanum ad fines agri inter Abellam Nolamque regendos positum. Tab. II.

Superest saxi Abellani inscriptio, quam, quum cura Gorii prodiisset in symbolis ejus literariis, J. B. Passerius exponere conatus est in Memoriis variae eruditionis societatis Columbariae Florentinae Vol. II., unde nostrae tabulae duae paginae descriptae sunt. Lapidem olim collocatum fuisse ad fines agri Abellani Nolanique regendos jam Passerius vidit; priusquam vero argumentum utriusque paginae, quarum prior 32, posterior 25 valde mutilatis versibus constat, per singula verba illustrare conemur, de sermonis indole atque literarum usu quaedam praemonere liceat.

Abella quidem et Nola oppida, de quorum finibus agit inscriptio, pariter atque Herculanum et Pompeji in Campania condita sunt ab Ausonibus; sed postquam Tusci et Chalcidenses e Graecia loca illa possederant, Samnitium magis quam Campanorum societatem coluerunt incolae. Hinc tabulae nostrae dialectus in nonnullis Sabinae magis quam Romanae linguae similis esse videtur: Sabini certe *f* literam amarunt, quae in nostra tabula saepius quam *d* litera ablativis additur. In nonnullis tamen Tuscorum vis agnoscitur, atque Chalcidensium potentia in illis urbibus tanta fuit, ut Justinus XX, 1. eas Chalcidensium colonias dixerit. Quemadmodum igitur nonnulla vocabula Graecam produnt originem, sic Tuscis fortasse debetur frequens usus nominum in *l* exeuntium. Scriptura quidem, sicut in reliquis Oscis inscriptionibus, eatenus Tusca est, quatenus *u* semper pro *o* scribitur; sed Graecorum vis in eo agnoscitur, quod non solum Y pro V, ⋎ contra pro O sit posita, verum etiam pro abjectis aspiratis ϑ et χ tenues *β*, *γ*, *δ*, ita receptae sint, ut D pro *R*, R contra, sicut in Oscorum Campanorum literatura, pro D poni soleret. Literis ligatis autem in eum modum abundat, praecipue in priore pagina, inscriptio, ut etiam duae syllabae *onnak* in unam figuram coaluerint. Ceterum omnia vocabula, si non puncto, intervallo quodam sejuncta, et, quamvis nonnullas literas perperam exaratas deprehendamus, tam nitide perscripta sunt, ut prior saltim pagina satis possit explicari.

1. Prior tabulae Abellanae pagina.

Lapidis summam partem non truncatam esse, Passerius jam ex eo conjecit, quod supra primos versus largus conspiciatur margo. Nescio quidem, qua re factum sit, ut non solum in trium primorum versuum fine, sed in media quoque tertii versus voce vacuum spatium relictum sit; sed quum horum versuum sententia sic enodari possit, ut nihil fere desideretur, aut vere aut fortuito perfectam putare possumus inscriptionem. Quam diversus vero fuerit Abellanorum Nolanorumque sermo ab eo, quem in ceteris Oscis inscriptionibus deprehendimus, jam primum docet vocabulum *ekkoma*, quod in aliis

Oscae linguae dialectis non legitur. Licet cum Latinis adverbiis *ecquo, ecquando,* comparandum videatur, non tamen interrogativi, sed relativi adverbii, cum praepositione *ek* compositi, vim habet: *ekkumi* enim v. 15. eadem ratione ad demonstrativum *iok* (*eo*) v. 16. refertur, qua *pam* v. 12. ad *iuk* v. 11., dum haec sibi respondent:

v. 11 sqq. *iuk tribarakkiuf, pam Nuvlanos tribalakae tuset* cet.

v. 15 sqq. *ekkumi seaipd Abellano tribalakai toset, iok tribadakkiof* cet.

In his, quum eadem fere sententia, etsi inverso ordine, legatur, *ekkumi* sine dubio idem significat, quod relativum adverbium *pam,* quod quum ad idem demonstrativum *iuk* sive *iok* referatur, in determinativo casu feminini generis pro *qua parte* positum est. Quod si *ekkoma* idem significat, quod *ekkumi,* non solum vocales *u* et *o,* sicut in ablativis *iuk* et *iok* cet., sed etiam consonantes *p* et *k* in *pam* et *ekkoma* sive *ekkumi,* in quibus terminatio quoque variat, inter se permutari solebant. Vocali *i* in sequenti voce *triibalakae* non designari productam syllabam, e nomine *triibom* in Pompejana inscriptione jam didicimus: designatur igitur *tribulosa* regio inter Nolanum atque Abellanum agrum sita, quam si cum Romanorum *tribulosa terra* vel Graecorum τριβολοέσση γῆ compares, praeter vocales *a* et *o* sive *u* consonantes *s* et *k* quoque permutantur. Praeterea in locis supra comparatis non solum genitivi *tribalakae* et *tribalakai* tam in *e,* quam in *i* exeunt, sed pro ablativo *tribarakkiuf* etiam *tribadakkiof* scribi potuit: in quibus non solum consonantium *l, r, d,* sed vocalium quoque *a, o, u,* permutatio notanda est.

Quod genitivus in *ae* vel *ai* pro *as* Bantinae tabulae exeat, non est mirandum, quia eadem fere flexio in aliis quoque inscriptionibus legitur; magis mirandus esset ablativus in *uf* vel *of* pro *af* sive *ad* desinens, nisi in Iguvinis quoque tabulis eadem generis permutatio observaretur. Imo masculinam flexionem in ablativo casu pro feminina, sicut omnes Ausones, etiam antiqui Romanorum scriptores, qui e contrario saepe in masculinorum nominativo feminina flexione uti solebant, usurpasse videntur. Hinc recte quidem Festus s. v. *recto fronte* e Catonis dissertatione consulatus scripsit: »Antiquae id consue»tudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque *a stirpe supremo,* et *Ilia dia nepos,* et *lupus femina,* »et *nulla metus,* — quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus »accipere.« Si vero addit: »Etiam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est *hic ovis* et *haec agnus, haec porcus,*« diversa est ratio, quam pluribus hic illustrare liceat. Quemadmodum *neptis* secundum Nonium M. III, 147. ab Ennio eadem licentia *nepos* dicta est, qua *dux, auctor* cet. in feminino quoque genere dici solet; sic M. Varro secundum Quintilianum Inst. orat. I, 6, 12., Ennium Pictoremque Fabium secutus, in eo libro, quo initia urbis Romae enarravit, *lupum feminam* dixit. De multa autem Gellius XI, 1., quocum Plinius H. N. XVIII, 3. de multatione ovium boumque impendio dicta comparandus est, haec annotavit: »Quando nunc quoque a magistratibus populi Romani more majorum

»multa dicitur vel minima vel suprema, observari solet, ut *oves* genere virili appellentur, »atque ita M. Varro verba haec legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: *M. »Terentio quando citatus neque respondit neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico,* »ac nisi eo genere diceretur, negarunt justam videri multam.« Unde Nonius M. III, 153. sic emendandus est: »*Oves* generis feminini, ut plerumque: masculini Varro Rerum hu»manarum lib. XXIII. ut etiam multantibus, qui *oves duos*, non *duas* dicunt, Homerum »secutis, qui ait *μῆλ' ὄϊές τε.*« At aliter se habet ille mos, quo non solum Ennius apud Non. M. III, 237. *a stirpe supremo* vel Livius Andronicus apud Festum s. v. *stirpem* et *Trojano* et *Grajo stirpe*, sed Virgilius quoque G. II, 379. *admorso in stirpe*, A. XII, 208. *imo de stirpe*, et 781. *lentoque in stirpe* dixit. Etsi enim Servius observat, de arboribus masculine, de hominibus feminine dici stirpem a Virgilio, unde etiam A. XII, 770. *stirpem sacrum* scribunt, arborisque stirpem masculinum habent R. R. scriptores cum Plinio H. N. VIII, 26., Ennius tamen apud Varr. L. L. VII, 2, 16. *út tibi* Titánis Trivia déderit stirpem líberum de pueris Medeae, Columella contra R. R. VI, 15. *exempta stirpe* de surculo dixit. Hinc aliam rationem protulit Probus Valerius apud Gell. XIII, 20.; quanquam autem secundum Quintilianum Inst. or. I, 6. summorum in eloquentia virorum judicium pro ratione et vel error honestus est magnos duces sequentibus, cum Macrobio tamen S. I, 4. potius pronuntiandum est, veteres indulsisse copiae per varietatem, sicut dicebant *exanimos* et *exanimes*, *inermos* et *inermes*, tum *hilaros* atque *hilares*. Quod si Festus s. v. *specus* scripsit: »Feminino genere pronuntiabant antiqui, ut *metus* et *nepos*, tam hercules quam masculino *stirps* aut *frons*«: in additis exemplis ex Ennio apud Non. M. III, 194. *Cóncava súb montis laté specus íntu' patébat*, atque Pacuvio: *ést ibi sub eo sáxo penitus stráta arena ingéns specus*, femininum genus nominativo tribuitur, sicut in versibus Ennii apud Paulum Diaconum s. v. *metus*: *Vivam an móriar nulla in me ést metus*, atque apud Non. Marc. III, 141. *Ni metus úlla tenét, recté virtúte quiéscunt*; masculinum contra ablativo, ut a Graccho apud Festum s. v. *malo cruce* (cf. Paul. Diac. s. v. *masculino* et Non. M. III. 31.), *fronte hilaro* a Caecilio apud Gell. XV, 9. (cf. Non. M. III, 89.), *lenti calido* a Titinnio apud Non. M. III, 117., *magno messe* a Lucilio apud Non. M. III, 139., quemadmodum Lucretius II, 1153. *aurea funis*, sed Plautus Curcul. V, 3, 13. *cum catello ferreo* scripsit, et quae sunt id genus alia.

Femininorum ablativos apud Romanos non in *O* modo, sed in *U* quoque exiisse, adverbia *diu*, *interdiu*, *noctu*, testantur: *noctu futura* enim secundum Macrobium S. I, 4. dici solebat, quemadmodum *noctu multa* apud Claudium Quadrigarium, et *hac noctu, qua noctu concubia* apud Ennium (cf. Plaut. Mil. II, 4, 28. Amph. I, 1, 116.). Etiam *vesperu* dixisse videntur veteres, quemadmodum *cum primo lucu* Terentius Ad. V, 3, 55., quod quum in pulvinari Solis juxta aedem Quirini *vesperug* scriptum esset, Quintiliani aequales Inst.

or. I, 7, 12. vesperuginem interpretati sunt. *Luci claro palam* autem, quod apud Plautum Aulul. IV, 10, 18. legitur, adeo usitatum fuit apud Romanos, ut Nonius M. III, 118. etiam M. Tullio de officiis III. versum: *Et cúm prior ire lúce claro nós queo* ascripserit, licetque apud Ciceronem Off. III, 24. *luce palam* legatur, quemadmodum *palam* sive *in poplico luci* in Bantina tabula v. 3. 15. 22, Orellius tamen Off. III, 31. *cum primo luci* pro *cum prima luce* ad Att. IV, 3, 4. edidit. Hinc in Abellana tabula paenultimum posterioris paginae versum e versu quarto prioris paginae *Herekleis fiisno* supplendum puto, licet I, 6. rectius *fiisnam* in accusativo casu scriptum sit. Ut autem consonantium quoque *l* et *r* apud omnes Ausones permutatio intelligatur, unum modo, ne longior sim, exemplum proferam. Haud longius, quam Herculaneum vel Neapolis, a Nola abfuit ad Clanim fluvium urbs *Trebula* (Liv. XXIII, 14, 39.), Ptolemaeo Τριβούλα dicta, quemadmodum *Trebula* Aboriginum apud Dionysium Hal. I, 14. Τριβόλα scripta est; at Strabo V, 3, 1. *Trebulam* Mutuscam Τρηβούραν scripsit. Ceterum haec oppida non a tribulis nominata esse, sed a *Treba Jovia* Umbrorum sive Romanorum *Trivia*, inde intelligitur, quod eadem oppida *Trebia* quoque vel *Treba* dicantur, ut Trebula Mutusca apud Arnobium adv. gent. III. et apud Serv. ad Virg. A. VII, 711. Praeterea secundum Prudentium in Symmach. II, 984 sq.

Ancipites *tribuli* subeunt et carduus horrens:
Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor.

At Trebula Campanorum campestris quidem fuit, sicut Nola secundum Livium XXIII, 44 sq. et Silium Ital. XII, 162 sqq. non flumine, non mari septa, sed adeo abundavit aquis, ut Plinius H. N. III, 5. Trebulanos Campaniae Balinienses cognominarit, ut a Trebulanis Mutuscaeis et Suffenatibus in finibus Sabinorum H. N. III, 12. dignoscerentur. Elisam quoque *l* literam scimus in Umbrico *sopa* sive *sopo* pro *sulfure* (Gallico *soufre*, Gothico *Swibla*); quam varie vero litera *l* permutata sit, δάφνη testatur, quae in Iguvinis tabulis V, 6, 12. ταφλε, Latine *laurus*, Italice *allore* scribitur. Permutationis *l* et *d* literarum exempla refert Marius Victorinus apud Putsch. pag. 2470. ut *linguam* pro *dingua* (*Zunge*), *lacrumam* pro δάκρυ (*Zaehre*), *olere* ab *odore* (ὄζειν), *meditari* a μελετᾶν cet. In tabula nostra II, 8 sq. etiam *senatel tanginod suveis* pro *senateis suveis tanginud* I, 9 sq. (*senati σοφοῦ* sive *sapientis consulto*) legitur, unde *liimitel* quoque I, 3. pro *limiteis* sive *limites* in plurali numero scriptum putarem, nisi praedicatum *mefi ist* v. 4 sq. singularem posceret. Hinc *liimitel* pro deminutivo accipiendum videtur, in quo Samnitium vim agnoscerem, quemadmodum Romani deminutiva sua, quorum nullum latius patuit quam Sabinorum *anca*, *ancula*, *ancilla*, *ancillula*, a Sabinis acceperunt, nisi *famel* quoque omnibus Oscis communis fuisset. Sunt tamen alia, in quibus Abellanus et Nolanus sermo ad Samnites propius quam ad Campanos accederet, unde recte Prudentius Perist. XI, 207 sq. populos segregavit, quum scriberet:

Concurrit *Samnitis* atrox habitator, et altae
Campanus Capuae, jamque *Nolanus* adest.

Nomen *liimitel* quidem, de quo Paulus Diaconus scripsit: »*Limites* in agris nunc »termini, nunc viae transversae sunt«, in nostra tabula vacuo quodam spatio in duas partes divisum est; sed quum enuntiationis sententia perfecta sit, si *liimitel* una voce legatur, nihil equidem desidero, etsi litera *t*, nescio qua causa, non est integra, et prior vocalis *i*, sicut in praedicato *mefi* v. 4. contraria ratione, perperam exarata. *Mefi*, unde dativus feminini generis *mefiai* in versu paenultimo legitur, pro *mefis* scriptum censeo, ut *limes medius* designetur, quemadmodum *media terra* in versu paenultimo ea est, de qua Virgilius G. I, 125 sqq. paullo ante illum locum, unde Prudentius versus de tribulis G. I, 150. hausit, cecinit:

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni;
Nec signare quidem aut partiri *limite* campum
Fas erat: *in medium* quaerebant; ipsaque tellus
Omnia *liberius*, nullo poscente, ferebat.

Nam sub ipsum prioris paginae finem v. 30. de media terra scriptum legitur: *ollad livvru eu is pedo* h. e. *illa* (*parte*) *libero ea est solo*, nisi *livvru*(*m*) *eu*(*m*) *is*(*t*) *pedo*(*m*) supplere malis in nominativo casu, quemadmodum in initio tabulae legitur *liimitel-mefi*(*s*) *ist* et *Abellano* v. 15. pro *Abellanos*. *Mefis* pro μέσος (*medius*) positum esse testatur posterior tabulae pagina, ubi v. 8. *sakaraklom Herekleis* sive *sacellum Herculis* memoratur, *pod anter terem m*(*e*)*ssee ist* v. 14 sq. h. e. *quod intra terram mediam est*: agnosco autem in ista literarum *s* et *f* permutatione, qua in Iguvinis quoque tabulis *mefa* pro *maza* scribitur, vim Sabellorum sive Samnitium. Pro Herculis sacello v. 4. *Herekleis fiisno* scriptum est, quod etiam II, 24. supplendum videtur: hoc nomine *ficetum* designari, sequentia docent, in quibus verba *ehtrad feihoss po Herekleis fiisnam amf et pert viam posstis* vertenda sunt: *altera* (*parte*) *ficubus apud* (ποτί) Herculis *ficetum circum circa* (ἀμφί τε περί τε sive *ampert* in Bantina tabula) *positis*. Ibi *feihoss* pro *ficubus* scriptum est, quemadmodum Umbri *fratrus* pro *fratribus* cet. dicere solebant, atque *s* in *feihoss posstis* geminata, quemadmodum in *meddiss* et *kvaisstur* Herculanensis et Pompejanarum inscriptionum. Eodem modo litera *k* geminatur in *tribarakkiuf* v. 11 sq. sive *tribadakkiof* v. 16 sq., aspiratio contra, in *feihoss* pro *k posita* et in *ehtrad* pro *etre* Umbrico inserta, prorsus neglecta est in *fiisno* et *fiisnam*, in qua litera *s* quoque insolitam habet figuram, haud dubie antiquiorem et literae Graecae Σ similorem. Ceterum quum *fiisnam* pro *ficinam* sive *ficariam silvam* generis feminini sit, in ablativo *fiisno* quoque exemplum habemus permutatarum inter se vocalium *a* et *o*, de qua supra uberius disserui. Pro ficubus quidem apud Horatium Epist. II, 2 sub fin. legitur *populus* assita certis limitibus; sed ficus in eundem finem esse positas, nemo dubitabit. Praepositionem *po* cum Graeca ποτί comparari posse, sicut *amf et pert*

cum *ἀμφί et περί*, Latina vox *positis* pro Graeca ποτιθέταις docet; nescio tamen an *po* pro *apud*, ab *ἀπό* derivanda, posita sit, quum *pustin* quoque v. 8., sicut πεστιν in Iguvinis tabulis V, a, 25. sive *posti* III, a, 13 sqq. b, 8 sqq., Graecae praepositioni *προτί* Croticaeve πορτί respondeat. Significat autem *pustin slagi*, sicut *slaagid* II, 12. inter verba *pud ist—sakaraklom Herekleis* (*quod est sacellum Herculis*), *pro termino*, unde I, 28 sq. *anter slag*(*im*) *Abellanam inim Nuvlanam* (*intra finem Abellanam et Nolanam*) legitur. Verba *pei ipi si* (*quae ibi sint*) ad *ficus* referenda docent, quam similis Osca lingua Romanae simul fuerit atque Umbricae, ab hac tamen in eo diversa, quod nominativus pluralis, sicut genitivus singularis, non in *ar*, sed *ai* Sabellorum more exierit. *Si* pro *sint* in Iguvinis quoque tabulis legitur III, a, 6. 27. b, 3.; *ipi* vero pro *ibi* eo magis scribi potuit, quod ἴφι antiquitus dicebatur.

Imperativum *likitub* v. 10 sq., quo prima enuntiatio clauditur, *likitud* (*liceto*) legendum esse, quisque facile videt; quoniam vero *um*, quod antecedit, non nomen est, sed adverbium υμω pro ὁμοῦ (*utrique parti*), quod in Mamertina inscriptione legimus, *tribalakae* v. 10. genitivus partitivus est pro *tribulosae terrae usufructu* positus. *Tribalakae* vero sive *tribalakai* v. 13 et 16. a tangendi verbo *tuset* sive *toset* pendet, quod ab antiquo τόσσω derivandum est, sicut Pindari participium τόσσαις atque Homeri τεταγών. *Namu ittiuf* cum Graecis ablativis νομῷ ἰδίῳ (*pascuo proprio*), *seaipd* cum ἑῷ πέδῳ (*suo agro seorsum*) comparandum puto, quum etiam v. 21. extr. *pdon* pro πέδον sine *e* litera scriptum sit. *Aet* Latinae conjunctioni *at*, *post* vel *pus* cum accusativis *fehois* (*ficus*) et *fisnam* (*ficetum*) constructa praepositioni *post*, *anfret* cum dativo *eisei* (*esei* v. 23) *terei* (*huic terrae*), sicut *anter* II, 14. cum determinativo *terem* (*terra*), conjuncta praepositioni *infra* respondet. *Avt* v. 22. inter *tins* (*tenus* a *tenendo* ductum vel κτῆνος), et *thesavrom* (*thesaurum* apud Petron. in fragm. Tragur. c. 46. extr. Burmanni vel θησαυρός), in quo Graeca aspirata θ Romanorum more per duas literas, diphthongus *au* contra Oscis pariter ignota per *av* expressa est, *atque* significat, sicut in Bantina tabula, quum *inim* conjunctio a pronomine *enus* derivata proprie *item* vertenda sit. Quemadmodum *tins* Graecorum κτῆμα sive possessionem, quae quidem, ut apud Festum Gallus Aelius definit, usus agri aut aedificii, non ipse fundus aut ager est; sic *thesavrom* χρῆμα (*bonum*) sive quamlibet copiam designat, sicut jam Naevius Platonis orcum *orcivum thesaurum* vocavit. *Patens* v. 24. prorsus Latinum est, *aon* vero pro ὁμῶς (*similiter*), sicut *um* v. 10. pro ὁμοῦ (*simul*) positum puto, et *asmonnak adtinod* sive potius *artinod* (ἀρθμῷ) pro *communi foedere*. Postrema enuntiatio v. 25—32., quae sicut altera ab adverbio *inim* (*item*) incipit, mutilata quidem et literis quibusdam vel perperam exaratis vel singulariter ligatis valde obscura est, nec ita facile supplenda vel explicanda; sed si *pokkahe* πρόσκτησιν (*acquisitionem*), *ittom* ἴδιον (*proprium aliquid*), *altt inam altt* vero *alia atque alia parte* significat, hoc fere modo supplenda et vertenda videtur:

Inim pdi (an) thesavrei pokkahe e(t tins) ittom altt inam altt (sv)errins.
Item soli vel boni acquisitio et possessio propria citra ultraque (est) vetita.

An sive *en* pro *vel* II, 10. 15. 17. legitur, atque *sverronei* II, 2. a *sverrins*, quod *ἀπόῤῥητον* sive *vetitum aliquid* significare videtur, derivari potuit. Reliqua ex iis, quae supra dicta sunt, facile explicantur; est autem *is* ante *pedo* v. 30. pro *ist* (*est*) scriptum, sicut *iss* v. 23. et *iet* in fine. Notanda est praeterea duarum VV geminatio pro *b* usurpata in *livvru*: *tera* pro *terra* secundum Varronem L. L. V, 4. etiam antiqui Romanorum poëtae dixerunt. Hinc *tereme*, sicut *terem* II, 14., in casu determinativo positum non magis mirandum est, quam *ajusta* ante finem pro *anjusta* (*injusta*) scriptum: mirandum est potius, quod cum determinativo casu *tereme* pronomina *isai eai*, pro quibus in Iguvinis tabulis VI, b, 20. inverso ordine *eo iso* vel *εϑ εσϑμ* V, a, 2. (*id ipsum*) positum est, et adjectivum *mefiai* juncta sint, in *ai*, non in *ame* exeuntia, quum in Iguvinis tabulis e contrario II, 34. I, 2. *ετῤαμα σπαντι* et *τεῤτιαμα σπαντι* pro *σπαντιμαῤ* II, 31. legatur. Sed VI, b, 26. etiam *toteme Iovine* pro *toteme Iovinem* VI, b, 46. sive *tote Iovine* VI, b, 36. scriptum est, atque in nostra tabula I, 12. *pam* pro *pad* (*qua parte*) sive *ekkumi* I, 15. legitur.

Tota prior pagina sic vertenda videtur:

Ekkoma triibalakae liimitel Herekleis fiisno mefi ist,
Qua ex parte tribulosae (terrae) limes Herculis ficeto medius est,
ehtrad feihoss po Herekleis fiisnam amf et pert viam posstis,
altera parte ficubus apud Herculis ficetum circumcirca viam positis,
pai ipi si pustin slagi Senateis suveis tanginud, tribalakae um likitud.
quae ibi sint pro termino Senatus sapientis consulto, tribuleti (ususfructus) simul liceto.
Inim iuk tribarakkiuf, pam Nuvlanos tribalakae tuset, namu ittiuf Novlanom esto:
Item in eo tribuleto, qua parte Nolanus tribuleti (fines) tangit, pascuo proprio Nolanum esto:
ekkumi seaipd Abellano tribalakai toset, iok tribadakkiof namo ittiof Abellanom estod.
ex qua parte suo solo Abellanus tribuleti (fines) tangit, in eo tribuleto pascuo proprio Abellanum esto.
Aet post fehois, pus fisnam, anfret eisei terei nep Abellanos (n)ep Novlanos pdon:
At post ficus, post ficetum, inferiore parte hujus terrae nec Abellanus nec Nolanus solum (habeto):
tribarakai tins avt thesavrom, pod esei terei iss, aon patens, asmonnak adtinod patens.
tribuleti possessio atque bonum, quod hujus terrae est, similiter patens, communi foedere patens.
Inim pdi (an) thesavrei pokkahe e(t tins) ittom altt inam altt (sv)errins:
Item soli vel boni acquisitio et possessio propria citra ultraque vetita (esto):
aet anter slag(im) Abellanam, inim Nuvlanam, ollad livvru eu is pedo;
at intra finem Abellanam, item Nolanam, illic libero ea est solo;
isai eai mefiai tereme ajusta iet.
in ipsa ea media terra injusta est.

2. *Posterior tabulae Abellanae pagina.*

In posteriore tabulae pagina tot quidem versus vel in sinistra vel in dextra quoque parte truncati sunt, ut non omnia satis possint explicari; sed, dum modo venia sit periclitanti, facili conjectura supplendi. Prima verba, licet multis de causis incerta sint, sic tamen intelligi poterunt, si lapidem, in Abellae urbis ruderibus repertum, ab Abellanis sic inscriptum putemus, quasi cum Nolanis colloquerentur. Incipit enim inscriptio a verbis *emapoi vestiri kiui* sive *alicui vestri* (seu potius *vestrum*) *civi*. *Mai*, a *mais* (*magis*) Bantinae tabulae derivatum, Romanorum *mage* est, sed, quod ejusdem vocis repetitio v. 4. docet, pro adverbio *nihilo minus* sive *tamen* accipiendum, quemadmodum Italicum *ma*, Franco-Gallicum *mais*, Hollandicum *maer*. Sine dubio *svae* supplenda est conjunctio, quam legis ratio postulat, *prupokir* vero *prupokid* legendum, ut verbum sit *propinquat*, unde dativus *sverronei kva*(*likva*)*lei Abellanoi* (*vetito qualiquali Abellano* scil. *solo*) dependeat. Sic *kapi* post *manu* (*itt*)*iuv* (*manu propria*) sive malis *manu*(*ma s*)*iuv* (*manu sua*) pro *kapid* (capit) scriptum est, cum dativo *pukalatoi* (*peculatui*) jungendum.

Quid in fine quarti versus supplendum sit, conjectura assequi vix licet; nihil tamen desideratur, quod sententiam mutet, quoniam *pukalatoi* peculatum in privatum usum designat, *trikei keketaku* vero pro *trica κακοτέχνῳ* sive *dolo malo* positum videtur: unde *sipus* e Bantina tabula suppleri potest. Tum *inuel* suppleri potest *inue* sive *inuk* (*e* et *k* enim in *Hereklkis* I, 4. pro *Herekleis* inter se permutantur) *l*(*is esto*), quia *inim isai lis Abell*(*anoi*) sequitur h. e. *item eadem* (ratione) *lis Abellano* scil. idem peccanti. In versibus proxime sequentibus nihil fere interiisse, verba docent jam supra laudata *Senatel tanginod suveis* (*Senatus consulto sapientis*): unam modo literam suppleo, ut pro *aus* v. 8. legatur *maus* h. e. *majoribus* atque cum dativo pluralis numeri *mullanois* jungatur. *Mullana* autem male facta sive peccata interpretor, quibus *katui* (*cautui* sive *cautioni*) sit *sakaraklom Herekleis* v. 11., ante quod, cui libet, verbum *ist* (*est*) suppleat, quemadmodum praepositionem *pustin* (*pro*), quae I, 8. legitur, ante ablativum *slaagid* (*termino*) v. 12. *Put* est relativum adverbium pro ὁπότε sive potius *quatenus*, sed *pid* post *ulus* (*ille* scil. senatus) Aeolica praepositio πέδα pro μετά (*cum*): unde *liga*(*is*) mihi non tam pro *legibus* quam pro *collegis* positum esse videtur. Adduntur scilicet numeralia *fuf an sekss* (*quinque vel sex*) cum verbo *kumfened* (*confiniit* sive *decidit*), quemadmodum nominativo *sakaraklom Herekleis* additur (*pustin*) *slaagid pud ist* (*quod est pro termino*); et paullo post *pod anter terem m*(*e*)*ssee ist* (*quod intra terram mediam est*). Quemadmodum in *mssee* vocalis *e*, sic in *teet* v. 12. extr. consonans *r* omissa videtur, nisi *teet* pro *teret* sive *terret* sic positum est, quemadmodum *tit* pro *timet* in Tuderti Martis inscriptione supra laudata. Pendet inde ablativus *puklpeisod* (ἐπιχλοπίᾳ, *a furto* sive *peculatu*); sacella vero secundum Festum dicebantur loca

diis sacrata sine tecto quidem, sed cum ara secundum C. Trebatium apud Gell. VI, 12. coll. Fest. s. v. *Mutini Titini sacellum*, Liv. VIII, 20, 8. Macrob. S. I, 7., consepta muro vel aggere et fossa, quibus *inseptum* opponitur a Paulo Diacono. Hinc v. 15 sqq. additur: *pai terem en niomu tanginud prufato set l(imes) an mor* h. e. qua in terra vel regione ex decreto praefato sit limes vel murus, *po eikik sakar(a) ammidikte* sive quo istic sacra (loca sunt) circumscripta. Quemadmodum *mor* Oscorum more, *murus* dicitur, sic *moin* est *moene*, quod Ennius quoque secundum Festum singulariter dixit: unde *muiniku* v. 22. pro *munitione* legitur, quemadmodum cum Festo Placidus in glossis: »*Municare*, inquit, *communicare*, dictum a *moeniis* i. e. operibus.« *Mulaikei (t)erei (molari terra)* pro aggere scriptum puto, quia *fosid (fossa)* additur; post *eiseis sakarakleis (hujus sacelli)* autem conjunctionem copulativam *inim (et)* suppleo, quia jungitur *teres (terrae)* genitivus. *Froktatiof* per metathesin pro *frutectis* sive *fruticetis* scriptum est, quemadmodum Servius ad Virg. Ecl. I, 40. *frutecta*, inquit, scholastici vocabant. Literam *f* in fine v. 21. *feihos (ficubus)* esse supplendam, inde colligo, quod etiam in versu paenultimo post genitivum *Herekleis* legitur *fi* pro *fiisno* sive *ficeto*. Quum e verbis *avt Novlak* v. 23. conjici possit, ablativum *Abellak* antea esse supplendum, *pot or(tom)* interpretor *quatenus actum est*. *Ortom* enim in Iguvinis tabulis *oratum* significat, *orare* vero antiquos pro *agere* dixisse, Paulus Diaconus cum Festo atque Nonio Marcello annotavit. Hinc post *Novlak (Nolae)* praepositionem *pustin* suppleo pro Latina *de*, post *fiisno* autem p. 24., quod etiam I, 4. pro *fiisna* exaratum est, *Abellal*, quia sequitur *Noelal* pro *Novlal*, quod pro *Nolano* dici potuit, quemadmodum *Sicani* etiam *Siculi* sive *Σικελοί* dicebantur. *Abellalis* autem una voce jungendum est, ut sit genitivus pro *Abellani*, qui pendeat ab ablativo *komono (communi)* e Bantina tabula post *pid Novlal(i)* h. e. *cum Nolano* in fine supplendo. Quam interpretationem si admittis, nihil amplius desideratur, totaque posterior nostrae tabulae pagina sic est vertenda:

Emapoi vestiri kiui mai, s(vae) prupokid sverronei kva(likva)lei Abellanoi,
Alicui vestrum civi tamen, si propinquat vetito qualiquali Abellano,
inim manu (itt)iuv kapi mai pukalatoi (sipus) trikei keketaku,
et manu propria capit tamen peculatui sciens dolo malo,
inuk l(is esto): inim isai lis Abell(anoi).
tum lis esto: item hac (ratione) lis Abellano scil. idem peccanti.
Inim katui mullanois (m)aus Senatel tanginod suveis,
Item cautioni peccatis majoribus Senatus consulto sapientis,
put ulus pid liga(is) fuf an sekss kumfened,
quatenus ille cum collegis quinque vel sex decidit,
(ist) sakaraklom Herekleis, (pustin) slaagid pud ist:
est sacellum Herculis, pro termino quod est:

inim te(r)et pukipeisod sakaraklom, pod anter terem m(e)ssee ist,
et terret a peculatu sacellum, quod intra terram mediam est,
pai terem en niomu tanginud prufato set l(imes) an mor,
qua in terra vel regione ex decreto praefato sit limes vel murus,
po eikik sakar(a) ammidikte, om moin mulaikei (t)erei, fosid,
quo istic sacra (loca) circumscripta (sunt), simul moene molari aggere, fossa,
eiseis sakarakleis (inim) teres froctatiof, f(eihoi), mutiniku,
hujus sacelli et terrae frutectis, ficubus, munitione,
pot or(tom Abellak) avt Novlak (pustin) Herekleis fi(isno, Abellal) is pid Novlal (i komono).
quatenus actum est Abellae atque Nolae de Herculis ficeto, Abellani cum Nolano communi.

Pars VI. Alphabeta Osca. Tab. II.

In tabula II. alphabeta addidi ex inscriptionibus illustratis collecta, quae ut recte intelligantur, pauca admonenda sunt. Fontes, unde hausta sunt, superscripsi, diligenterque cavi, ne immiscerentur e nummis vel vasis aliena, quae judicium perturbarent. Alphabeto soli Capuensi paucas literas addidi e nummis Samniticis illustratis, ut supplerentur, quae deessent. Deest tamen aspirationis nota, quemadmodum litera C vel G in Herculanensi alphabeto, B, H, F, in inscriptione antiquissima. Ubi lineolam transversam posui, nulla omnino litera Osca Latinae diversa quadam figura respondet, quum C semper pro G scribatur, sicut KV pro Q et KS pro X, Z vero non discernatur ab S, nisi si duplicem SS tam pro Z quam pro X positam putare velis. Quod ad addita duo Graecorum Italiae antiquissimorum alphabeta attinet, de quibus in fine hujus operis singularis sermo erit, hic nonnisi illud moneo, me, quum Oscas literas Latino Bantinae tabulae alphabeto adaptarem, eas literas, quae Graecis propriae fuerunt, extra alphabeti ordinem in fine adjecisse, quae quam differant usu a Latinis literis, quibus appositae sunt, non latet literarum Romanarum Graecorumque gnaros. Sunt autem plura notanda et de figuris et de pronuntiatione literarum Oscarum.

1. De literarum figuris.

Oscarum literarum e Tuscis originem non solum illud testatur, quod a dextra ad sinistram scribuntur, sed multo magis hoc, quod litera *O* supplenda fuit per *u* punctatum. At inter Tuscam Oscamque linguas tanta fuit discrepantia, ut et sibilantes literae praeter unam *s* et aspiratae consonantes praeter *h* et *f* abjiciendae, mediae contra literae *b*, *g*, *d*, a Graecis mutuandae essent. Ne enim harum originem a Romanis deducamus, dissuadet praeter Graecam gammae figuram atque pronuntiationem, quam gammatus limes apud agrimensores testatur, literarum *d* et *r* inter Oscos et Romanos differentia.

Neque apud Romanos, qui a Graecis Siciliae Doriensibus, neque apud Oscos, qui a Tuscis literas acceperant, inter literas *d* et *r* ullum discrimen primitus fuit, quod quidem simili modo facientes, atque Sp. Carvilius apud Romanos C et G distinxit, contrariam tamen rationem secuti sunt, ut Osca *d* Latinae *r*, Osca *r* contra Latinae *d* videretur similis. Ceterum Graecorum vis in literae *p* figura imprimis cernitur, quam Romani Graecae *r* similem fecerunt, praetereaque in eo, quod Abellani Tuscam *u* Graecorum quoque more *v* scripserunt. Praeter *u* vocalem *i* quoque diversis modis scriptam videmus: nihil tamen interest, qua figura usi sint, nisi quod consonans *j* semper, nescio an fortuito, I scribatur. Praeterea Osci literam *a* tam singulariter formare solebant, ut, quae inscriptio Osca sit, ex ea potissimum cognoscatur. Litera *φ* quidem, quae est ultima alphabeti, Tuscae plerumque similis est, sed in variis inscriptionibus satis varia, atque, sicut *s* in Abellana tabula, valde singularis. Hinc Osca literatura, etsi a Tuscis accepta, Oscis tamen propria dici potest: quando vero Osci literaturam istam receperint, ex illis literarum figuris conjici potest, quas Tusci variis temporibus varie scripserunt. Antiquissimam quidem literae *m* figuram, Tuscis et Graecis antiquioribus communem atque hieroglyphico aquarum signo paullo similiorem, quam quae Punice scribi solebat, Osci praeter unum antiquissimae inscriptionis exemplum pariter ignorarunt, atque illas, quas vel Romani Graecique in Europa vel Umbri in Iguvina tabula III. multo serius invenerunt: hanc literam contra, sicut piscis natantis notam *n*, iisdem semper duabus figuris scripserunt, quibus et Tuscos et Umbros in plerisque inscriptionibus suis usos reperimus. Oscorum literatura pleraque igitur junior est exemplo tesserae hospitalis ex aere vetustissimae, quam a. 1783. prope Petiliam in Bruttiis repertam Heerenius explicavit in Bibliotheca veteris literaturae et artis P. V., multo antiquior tamen bellis Romanorum Punicis, quia gamma, terminis adhuc agrimensorum transversis positis similis, nondum rotundiorem figuram Latinae C accepit, cui Sp. Carvilius Romae lineolam illam addidit, unde G nata est. A tessera illa hospitali jam Tusca literatura adeo degeneraverat, ut gamma ejus vocalis *i*, *ɨ* contra sibilantis locum occuparet, unde duas sibilantium figuras Tusci habebant, quarum antiquiorem, Latinae literae *m* similem, tam Osci quam Umbri ignorarunt. *V* quoque litera apud utrosque digammi Graeci figuram jam amiserat; Umbros autem multo serius quam Oscos Tuscorum literaturam recepisse inde intelligitur, quod, licet utrisque junior literae *φ* figura communis sit, *h* et *t* literae apud Oscos nonnisi antiquiore, apud Umbros nonnisi juniore figura exaratae sint. Antiquissimas Oscarum literarum figuras post Mamercini civis inscriptionem in Abellana tabula conspici, dubitari nequit, Pompejanas vero inscriptiones non ita multo ante urbis ruinam exaratas esse, veri simile est: imo Herculanei reperta dicitur Osca inscriptio tam vivido colore conspicua, ut in ipso interitu posita videatur. Ceterum Oscam literaturam, etsi Bantina tabula Latinis, Mamertina inscriptio

Graecis literis scripta est, ultra Tuscorum olim imperii fines in Campania pertinuisse, nummi Samnitici testantur, Oscis literis inscripti. Non omnes quidem nummi, quorum inscriptiones Oscae putantur, Oscas quoque literas exhibent, sed tamen praeter nummos bello Italico Corfinii cusos illi quoque, in quibus nomina *Aderl* sive *Aderu* (*Atellae* in Campania vel *Aterni* ad fluvii Aterni ostia), *Frentred* (*Frentanorum*), *Akudunniad* (*Aquiloniae* in Samnio) leguntur. *Viis* autem literae in nummis Posidoniae sive Paesti in Lucania vere Graecae sunt, iis similes, quibus tessera hospitalis supra laudata inscripta est, et plane diversae a nomine *Fistulis* in nummis incertis. Licet igitur literae a dextra ad sinistram scriptae sint, non tamen Graecae Oscarum vocum inscriptiones Oscae statim dicendae sunt; multo minus Latinae, a sinistra ad dextram exaratae, quarum in nummis maxima est copia.

2. *De literarum pronuntiatione.*

Oscae literae sine dubio antiquitus eodem modo pronuntiabantur, quo Latinae, quibus in tabula nostra respondent; sola Romanorum veterum rusticitas, qua literarum C et F pronuntiatio sic paullatim mutata est, ut literarum *κ* et *φ* locum obtinere viderentur, effecit, ut hae duae literae aliter apud Oscos, Graecorum morem secutos, aliter apud Romanos sonarint. Hinc Osci consonantem V a vocali simili, quas Romani una eademque litera scribere solebant, sic semper fere distinxerunt, ut *κF* pro *qu* et *σF* pro *su* ante vocalem scripserint, quemadmodum *κς* pro seriorum Latinorum *x*. Vocales contra *o* et *u*, quas Romani jam antiquissima aetate diversis literis scribebant, Osci sero demum vel puncto vel lineola transversa supra impositis distinguere coeperunt, unde etiam vocalem *i* a consonante *j*, quas Romani nunquam distinxerunt, simili lineola transversa variis modis apposita discrevisse videntur. Literam Z Osci non magis unquam in literaturam suam receperunt, quam literam X; ea enim, quam Lepsius de tabulis Eugubinis pag. 71. not. 203. accipiendam putavit, non differt ab *s* litera variis modis perscripta. Literam Y quidem pro *u* usurpatam in Abellana tabula vidimus, eam tamen non agnoscunt aliae Oscorum inscriptiones. Literam *φ* non Graecorum more, sed sicut Latinorum *f* pronuntiandam esse, inde intelligitur, quod praeter *h* nullas aspiratas habebant Osci, pro *ϑ* in nominibus *thesavrom* et *thesavrei*, quae in Abellana tabula leguntur, Romanorum more *th* scribentes, neque magis unquam *b* pro *φ*, quam *φ* pro *b* ponentes: ubi enim *b* pro *φ* scripta videtur, error est vel lapidarii vel chalcographi.

Pars VII. Osci sermonis indoles.

Licet Oscae linguae rudimenta non sic, ut Umbricae, in systematis formam possint redigi, quia major quidem est inscriptionum multitudo, brevior vero earundem am-

bitus, unde propter argumenta varia majorem quidem nominum verborumque copiam, sed pauca modo ad grammaticam spectantia haurire licet; nonnulla tamen Oscis propria monenda sunt, quae vel ad literarum usum vel ad verborum formas spectant.

1. *De literarum usu.*

Oscam linguam tam similem deprehendimus priscae Latinae, ut, quae intersit differentia, cum temporum decursu, tum variorum populorum commercio quam maxime effecta videatur. Oscae linguae mutationes testatur ipsarum inscriptionum varietas, quae tamen tam exigua est, ut Bantina tabula, licet antiquiore aetate atque in Apuliae et Lucaniae confinio Latinis literis exarata, non ita multum differat a serioribus Campaniae inscriptionibus. Etiam Mamertina inscriptio in paucis modo Graecorum commercium prodit; multo magis abhorret a reliquis inscriptionibus Abellana tabula, cujus sermonem tam Tuscorum Graecorumque quam Samnitium commercio mutatum agnoscimus.

In nulla alia inscriptione tam multae literae inter se permutantur, quam in Abellana tabula, in qua pro *media in terra* tam *mefiai tereme* quam *terem m(e)ssee* scriptum est. Etsi vocalis *u* duabus literarum figuris scribitur et a vocali *o* transversa quoque lineola supra imposita discernitur, nihil tamen frequentius observatur quam literarum earundem permutatio: imo vocalis *u* cum consonante *v* in eum modum permutatur, ut non solum *kiui* pro *civi*, sed *liuuru* quoque pro *livvru* (*liberum*) scriptum sit. In Bantina tabula eo magis *cevs Bantins* (*civis Bantinus*) pro *ceus* legendum censeo, quoniam in inscriptionibus, quae Oscis literis exaratae sunt, *avt* quoque pro *aut(i)* et *tovtiks* pro *tuticus* scribi solet. *Maus* quidem in Abellana tabula pro *majoribus*, sicut *mais* in Bantina pro *magis* legitur; sed praeter diphthongos *ai*, *ei*, *ii*, *oi*, *ui*, pro *ae*, *e*, *i*, *oe*, nullam aliam agnosco, nisi *au* in *sauci* pro *socio* in Bantina tabula: *tavtam* enim sicut *tovtam* pronuntiandum censeo. An *iu* in nominibus *Niumeriis* et *Niumisieis* pro diphthongo accipiendum sit, quum in multis aliis vocabulis duabus syllabis pronuntietur, dubito: *eu* certe pronomen pro *iok* sive *iuk* duae vocales sunt; sed triphthongum forsan *oei* reperimus in antiquissimae inscriptionis nomine *Oetlennis*. An in nominibus *Niumeriis* et *Niumisieis* literae *r* et *s* inter se permutatae sint, quemadmodum *degetasius* pro *digitarius* scribi potuit, a *digitando* pro *dictando* derivatus, unde apud Romanos quoque scriptores *indigitare* legitur, dubitari quidem possit; at *vincter lamatir* in Bantina tabula aliter interpretari nescio, quam ut Umbrorum more pro *vinctis lamatis* scriptum accipiatur. Permutationem literarum *ss* et *f* jam supra notavi; *n* pro *m* scriptum est in *herentaten* Herculanensis inscriptionis et in *pon* pro *quum* in Bantina tabula. Memoratu vero quam maxime digna est literarum *r*, *d*, *l*, permutatio in nomine *tribarakkiuf* sive *tribadakkiof* et *tribalakae* pro *tribulosa terra*. Etiam hoc est observandum, quod in Abellano saxo nomina in *f* exire soleant, quemad-

modum relativum adverbium *puf* in Pompejana inscriptione, in Bantina contra tabula *d* in fine vocum addi soleat. *C* vel *K* litera praeter *Novlak* pro locali *Nolai* sub Abellanae inscriptionis finem quam maxime additur pronominibus, ut in *ekak* Pompejanae pro *eka* Campanae scriptionis. *K* et *p* praecipue in pronominibus relativis permutantur, quanquam *petiropert* pro *quater* quoque, et *puf* pro *quinque* usurpatum legimus: quemadmodum enim in Mamertina inscriptione *ke* pro *pa* (*qua*) positum invenimus, sic in Abellano saxo tam *ekkoma* sive *ekkumi* pro *pam*, quam *empoi* pro Latino *alicui* legitur. Etsi *pam*, si cum *ekkoma* sive *ekkumi* comparatur, pro *pame* scriptum deprehendis, quemadmodum Latinorum conjunctio *cum* secundum Scaurum de orthographia pag. 2261. ed. Putsch. in Saliari carmine *cume* scribebatur; non tamen tanta fuit Oscorum rusticitas in abjiciendis vel addendis literis, quanta Umbrorum in Iguvinis tabulis, in quibus determinativus casus pro simplici *o* in *om*, *ome*, *omem*, *omen*, *oma*, *omars*, quod Osco *omad* respondet, exit; *H* litera in *ehtrad feihoss* Abellanae tabulae et contra morem inseritur, et pro *c* Latina scribitur, pro qua literam *s* habet *fiisna* nomen; sed neque Umbrorum more nomina aspirationis ope dilatantur, neque Graecorum consuetudine *s* initialis in aspirationem mutatur: quin *um* sive $\upsilon\mu\omega$ pro *somo* Umbrorum vel $\delta\mu o\tilde{\upsilon}$ Graecorum scriptum est.

2. *De verborum formis.*

Osca lingua Latinae veteri tam similis fuit, ut paradigmata quaedam exhiberi, quod, quia de multis exempla desunt, non sine lacunis, atque propter dialectorum differentiam vel propter locorum similium variis modis repetitorum inopiam non sine longis dissertationibus exsequi licet, haud necessarium existimem. Pauca igitur monuisse sufficiat, unde Osci sermonis indoles propria cognoscatur. Imprimis notandus est nominum propriorum usus, in quo hoc praecipue Oscis cum aliis ejusdem stirpis Ausonicae populis commune fuit, ut aut nullum nomen in *ius* exiens, ut *V(olero) Men(a)s Melissaii* (*filius*) et *V. Aadirans* V. Pompejani, aut duo nomina ejusdem terminationis *iis* h. e. *ius* gerere solerent, ut *Pakis Tintiriis* apud Lanzium, cui in feminino genere *Epe Latinae*, fortasse etiam *Muia Itilnia* respondet. Rarius observatur Romanorum mos, ut in nominibus *Mr. Aadiriis V.* Pompejani, cui simílem aliam inscriptionem lego *N. Trebiis Tr.*; frequentior est nominum abbreviatio, quemadmodum nummi Samnitici tam (*G.*) *Mutil* sive *Mutil Embratur*, quam *G. Paapi* (*G.*) inscripti sunt. Patris nomen sive praenomen non inseri, sed addi solet nominibus; duorum vero patris nominum exempla desidero, unde in Herculanensi inscriptione *L. Slabiis Laukil* pro *L. Aukil* legendum censeo. Multimodis variata nomina legimus, ut *Herine* et *Herenni*, et quemadmodum *Stenius Calinius Statii filius* in Mamertina inscriptione *Στενις Καλινις Σταττι* scribitur, sic *Popidiis* pro *Popidius* scriptus non quatuor, sed tribus syllabis pronuntiandus esse videtur: vocalis *i* enim

geminari solet, etiamsi *u* non elidatur. Vocalium elisio autem in nominum flexionibus adeo usitata est, ut non solum *degetasis* pro *degetasius* vel *cevs Bantins* pro *civis Bantinus*, sed etiam *mefi* pro *medius*, quemadmodum *Paapi* pro *Papius*, legatur: *Meddis* contra pro *Meddix* etiam *Meddiss* cum geminata *ss* scribitur. Quot modis Osca nomina et verba flectantur, definiri vix potest: etsi enim genitivus nominum in *as*, *eis*, *es*, et tertia persona verborum in *ad*, *ed*, *id*, exire solet, magis tamen inter se differunt genitivi *moltas* et *tribalakae* sive *tribalakai* vel participia *deicans* et *eituns*, vel quod tam *terei* pro *terrae* quam *thesavrei* pro *thesauri* legatur. Non minus differunt ablativi pluralis numeri *tribarakkiuf* et *zicolois*, etsi in *feihoss posstis* pro *ficubus positis* quartum declinandi genus a secundo discernere licet, atque tam genitivus singularis *Senateis* quam accusativus pluralis *fehois* ad quartam declinationem referri potest. Tria genera facile dignoscuntur; dualis vero numeri exemplum desideratur: vocativus non legitur, reliquis casibus autem accedit et localis *Novlak* (*Nolae*) et determinativus *tersm* sive *tereme* (*in terra*). Gradus comparationis agnosco in *maus* (*majoribus*) et *maimas* (*maximae*), quamquam pluralem *nessima* cum genitivo *nesimum* et ablativo *nesimois* pro positivis accipio. Insignis est pronominum demonstrativorum copia, quam voces *ionc*, *exac* et *exeic*, *esuf*, *ezum*, *eizuc*, *izic* et *eizeic*, *eizazunc* in Bantina tabula, *isai eai*, *iok* et *eikik* in Abellano saxo, *eksuk* et *inu* in Pompejana inscriptione cet. testantur. In nominibus Osci saepe deminutiva, ut *liimitel*, in verbis contra intensiva, ut *eituns*, *deivatuns*, ponebant.

Appendix 1. de Oscorum origine.

Quum Osca lingua ex iis, quae interpretati sumus, non amplius sit terra quasi incognita, pro se quisque facile intelliget, Oscos pariter atque Auruncos, Volscos, Latinos et Umbros cum Sabellis omnibus esse ex Ausonum gente, quae maximam partem Italiae olim insedit. Quae enim observatur differentia, non major antiquitus fuit, quam qua dialecti unius ejusdemque sermonis per varios casus mutatae discernuntur. Ea autem, quae communia fuerunt omnibus Ausonum populis, Pelasgicam Graecorum redolere originem, magis etiam apparebit, quum mihi otium fuerit, vocabularium Ausonicum cum grammatica Umbrica elaborandi. Hic unum exemplum in medium protulisse sufficiat, unde luce clarius elucescit, quatenus omnium populorum Italiae ex Ausonum gente linguae prisco Graecorum sermoni vel similes fuerint vel dissimiles. Quamvis diversa videantur Osca verba *svae pis*, Volsca *sepis*, Umbrica *sve pis* sive *sopir*, Latina *sei quis*, a Graecis εἴ τις, nemo tamen Germana *so wer* (Gothice *swa hwas*) pro *wenn jemand* (Gothice *jabai hwas*) vel alia Sanscriticae stirpis vocabula similiora putabit antiquitus: imo quum rationes perspexerit, quibus mutentur literae, tam Graecas particulas ἐι et ἔτι, quam Latinas *et*, *ita*, ex antiquo pronomine *is*, quemadmodum Latinam *sic* ex Osca *izic* sive *eizeic*, Umbrica

isek, vel Oscas *in*, *ini*, *inim*, *inu*, ex Umbricis *eno*, *enno*, *ενθκ*, *ινθκ*, derivabit. Quamvis magna sit linguarum singularum differentia paullatim inde enata, quam vel ipsa nomina *Pomponii* apud Umbros, *Pompilii* apud Sabinos, Pompeji apud Oscos testantur, secundum quae *Tarpeja* quoque rupes montis Capitolini non differre videtur ab Osco *Turquinii* sive *Tarchontis* Tusci nomine *Tarpinio*; nemo tamen porro peregrinum Latinae linguae elementum, quod Siculis potius ex Iberia Thucydidis h. e. Gallia oriundis debetur, tribuere poterit Aboriginibus. Quod ut rectius perspiciatur, addere quaedam mihi liceat, quae nondum satis intellecta video. Maximus enim error inde natus est, quod plerique easdem terras iisdem fere nominibus appellatas putarunt, de vera vi nominum apud diversos scriptores securi. Ut omittam antiquiora, quae alias illustrare conabor, ab Herodoto primo incipiam, qui cum I, 163. scriberet: *Οἱ δὲ Φωκαιέες-ναυτιλίῃσι μακρῇσι πρῶτοι Ἑλλήνων ἐχρήσαντο· καὶ τόν τε Ἀδρίην καὶ τὴν Τυρσηνίην καὶ τὴν Ἰβηρίην καὶ τὸν Ταρτησσὸν οὗτοί εισι οἱ καταδέξαντες·* ostendit, quibus nominibus Phocaeensium periegesis antiquam occidentalis Europae descriptionem distinxerit. Nam si duae partes Italiae, quas Apenninus disjungit, Adria et Tyrrhenia vocantur, quarum nomina Adriaticum et Tyrrhenicum mare servavit, Iberia est Galliae ora australis, Tartessus contra Iberia seriorum. Thucydides certe, qui Celtas prorsus ignorat, quum VI, 2. scriberet: *Ὡς δὲ ἡ ἀλήθεια εὑρίσκεται, Ἴβηρες ὄντες καὶ ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ ποταμοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ ὑπὸ Λιγύων ἀναστάντες (Σικανοί)·* regionem inter fontes Sequanae et Ligeris, ubi secundum Scylacem Caryandensem post Iberos sequuntur Ligures et Iberi mixti usque ad Rhodanum fluvium, Iberiam vocavit. Quam prave tamen Servius Thucydidis verba interpretatus sit, supra jam indicavi; sed pessimae omnium opinionis auctor fuit Dionysius Halicarnassensis, qui, quum I, 22. varias de populorum Italiae et Siciliae origine sententias invenisset, Pherecydem nulli Atheniensium in scribendis genealogiis secundum (I, 13.) sequi maluit, quam cum sanioribus historicis incertum relinquere, quod diserte affirmari non potest. Is I, 10. recte quidem post vanas interpretationes nominis Aboriginum, Romanae gentis auctorum, addidit: *Ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσιν αὐτὰς γενέσθαι, τῶν ὁμορούντων Ὀμβρικοῖς· οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῆ, νέμονται δέ τινα καὶ τῆς Κελτικῆς· ὁποτέρα δ' αὐτοῖς ἐστι γῆ πατρὶς, ἄδηλον· ἐδὲ γὰρ ἔτι λέγεται περὶ αὐτῶν προσωτέρω σαφὲς ἐδέν·* at infelici studio eruendi, quae eruendi, quae eruenda non sunt, haec disseruit, quae ex Latina versione proferre liceat.

»Doctissimi Romanorum scriptorum, inquit, inter quos est Porcius Cato, qui »Italicarum urbium origines accuratissime collegit, et C. Sempronius, et multi alii, ajunt »Aborigines esse ex iis Graecis, qui quondam in Achaja (h. e. Graecia) habitarant, et mul»tis ante bellum Trojanum aetatibus inde migrarant. Verum tamen verbis disertis non »scribunt, aut ex qua Graeca natione fuerint, aut ex qua urbe migrarint, aut quo tem-

»pore, aut quo coloniae duce, aut quibus acti casibus antiquam patriam reliquerint: et, »fabulam Graecam secuti, hoc nullius auctoris Graeci testimonio confirmarunt. Rei igitur »veritas quomodo se habeat, incertum est. Quod si istorum sermo verus est, non possunt »coloni esse ullius alterius generis quam Arcadici«. Tum postquam sententiam suam ex iis, quae ab antiquis poëtis et fabularum scriptoribus de sedibus et genere Oenotrorum scripta fuerunt, probare conatus est, adjecit I, 13. haec quam minime probabilia: »Arbi»tror autem ipsos Oenotros cum multa alia Italiae loca occupasse, quae partim deserta »partim male culta nacti fuerant, tum etiam agri partem aliquam Umbris ademisse; Ab»origines autem vocatos, quod in montibus habitarent (Arcadicum enim est montium habi»tatione delectari), ut ii qui Athenis Hyperacrii et Parhalii vocabantur«. Meliora sane, Timaeum secutus, Scymnus Chius cecinit in orbis descriptione v. 216 sqq., quum vel fabulosa illa de Umbrorum origine a Circes et Ulixei filio Latino atque Ausonum ab Ulixei et Calypsonis filio Ausone, quibuscum et illa, quae jam antiquissimus auctor Hesiodus in Theogonia v. 1011 sqq. de Agrio sive Umbro atque Latino cecinit, et illa, quae Hyginus *Μυθολογ.* c. 127. et Festus s. v. Mamiliorum familia ex opinione omnium Romanorum atque ipsius Dionysii Halic. IV, 45. annotaverunt, congruunt, Graecam saltim Ausonum originem testentur. Ceterum *Ausonas* Osci, qui *avt thesavrom* pro *aut thesaurom* cet. scribebant, nonnisi *Avsonas* sive *Avronas*, sicut *Auruncos* nonnisi *Avruncos*, dicere potuerunt. Hinc Saturnini quoque in Etruria secundum Plinium H. N. III, 5. (8.) *Avrinini* dicebantur, quos equidem Ἀβοριγῖνας Dionysii Halicarnassensis sive Ἀβοριγίνας aliorum secundum Stephanum Byzantinum interpretor, quippe quorum opera Pelasgi *Saturniam*, teste Dionysio I, 20 extr., vel Siculis expulsis eripuerunt vel ab se aedificatam incoluerunt. Ante Aborigines autem Siculos incoluisse Saturniam, oraculum docet secundum Varronem apud Macrobium S. I, 7. et Lactantium I, 21. Pelasgis datum, quod, teste Dionysio I, 19 extr. L. Mallius sive Manilius, qui Plinio H. N. X, 2. (cf. Fest. s. v. *sexagenarios*) diligentissimus togatorum senator, maximis doctrinis, nullo doctore, nobilis, audit, in tripode quodam templi Dodonaei literis antiquis exsculptum vidisse dicitur:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἣδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται,
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ cet.

Quamvis multis jam aetatibus ante bellum Trojanum hoc factum sit, minime tamen credendum est Dionysio, Peucetium jam septendecim generationibus ante Iliacam expeditionem cum fratre Oenotro ex Arcadia ad Italiae litus appulisse. Emendandum est autem aliud quoque testimonium apud Paulum Diaconum: »*Peligni* ex Illyrico orti: inde enim »profecti ductu Volsini regis, cui cognomen fuit Lucullo, partem Italiae occuparunt. »Hujus fuerunt nepotes Pacinus, a quo *Pacinates*, et Pelicus, a quo *Peligni*«.

Haec si vera esset lectio, pars certe Ausonum ex Illyrico venisset in Italiam: Pelignos enim Ovidius in ipsorum finibus Sulmone natus F. III. 95. a Sabinis ortos dicit. At totus locus corruptelis abundat: quos enim *Pacinates* putes sive *Pecinates*, ut alii legunt? Cluverus quidem *Piciantes* Stephani Byzantini comparat, qui sunt *Picentes*; sed multo rectius ejusdem Stephani *Peucetiantes* comparari, qui sunt *Peucetii*, Lucullus sive potius Lucilius dux docet, a quo *Lucani* appellati dicuntur Paulo Diacono: quanquam pro hoc quoque rectius Eustathius in Dionysii Perieg. 362. cum Plinio H. N. III, 5. (10.) *Lucium* quendam exhibuit. Picentes ex illo loco excludit ipse Paulus Diaconus scribens: »*Picena* regio, in qua est Asculum, dicta, quod, Sabini quum Asculum proficiscerentur, in »vexillo eorum picus consederit«, coll. Strab. V, 3, 1. pag. 228. V, 4, 2. pag. 240. VI, 1, 3. pag. 254. Legendum est igitur: »*Pedicli* sive *Pediculi* ex Illyrico orti: inde enim profecti »ductu *Volcinii* regis, cui cognomen fuit *Lucilio*, partem Italiae occuparunt. Hujus fue»runt nepotes *Peucetius*, a quo *Peucetiantes*, et *Pediclus*, a quo *Pediculi*«. De Pediculis enim, quorum oppida fuere Rudiae, Ennii patria, Egnatia, Barium cet., Plinius H. N. III, 11. (16.) scripsit: »IX. adolescentes totidemque virgines ab Illyriis tredecim populos ge»nuere«; Servius autem ad Virg. A. VIII, 9. tradidit, Peucetiam et Messapiam a duobus fratribus dictas, qui illic imperarunt, coll. Plin. H. N. III, 11. (16.) paullo ante l. l. Strab. VI, 3, 1. pag. 277. Regem Volcinium scribendum putavi propter *Volcentum*, antiquum Lucaniae oppidum, *Οὐλκουος* Ptolemaei, *Ulcianam* praefecturam Frontini de col. pag. 109., cujus incolas Livius XXVII, 15. *Volcentes*, Plinius H. N. 3, 11. (15.) *Volcentanos*, Gruteri inscriptio CCIX, 2. *Vulcejanos* vocant: *Vulcejum* autem a *Volcinio* non magis differre existimo, quam *Tarpejum* a *Tarpinio* sive *Tarquinio*. Ceterum Pediculos a *πίτυ*, quemadmodum *Peucetios* a *πεύκη* nominatos censeo: Graecos enim insedisse totam fere Apuliam et adjacentes Italiae oras maritimas, omnibus notum est.

2. *De regionum, quas Osci insederunt, primis incolis.*

Oscos Campanos cum Auruncis, Volscis et Aboriginibus, ex Umbris, quemadmodum Samnites ex Sabinis, immigrasse, cum linguarum affinitas, tum historia docet; populorum vero, qui ante eos loca, quae insederunt, incoluerint, Plinius quidem H. N. III, 5. (9.) de Campania scribens: »Hoc quoque certamen humanae voluptatis tenuere Osci, Graeci, »Umbri, Tusci, Campani« nullum meminit; at idem in sequenti capite de Lucania: »Te»nuerunt eam, ait, Pelasgi Oenotrii, Itali, Morgetes, Siculi, Graeciae maxime populi: »novissime Lucani a Samnitibus orti duce Lucio«. De his autem consentiunt omnes, qui de antiquissimis Italiae populis scripserunt; minus recte Plinius H. N. III, 10. (15.) verbis: »A Locris Italiae frons incipit, Magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii »maris« addidit ea: »quoniam Ausones tenuere primi«. Meliora docet Strabo V, 4, 3.

pag. 242., qui primo de Campania scripsit: *Ἀντίοχος μὲν οὖν φησὶ τὴν χώραν ταύτην Ὀπικὸς οἰκῆσαι, τέτες δὲ καὶ Αὔσονας καλεῖσθαι·* ubi tamen perperam deinde secundum Polybium ab Opicis Ausones, secundum alios etiam Oscam gentem distinguit; mox VI, 1, 2. pag. 253. de Lucania: *Πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν, οὐδ' ἦσάν πω Λευκανοί· Χῶνες δὲ καὶ Οἰνωτροὶ τὲς τόπες ἐνέμοντο. Τῶν δὲ Σαυνιτῶν αὐξηθέντων ἐπιπολὺ καὶ τοὺς Χῶνας καὶ τοὺς Οἰνωτροὺς ἐκβαλόντων, Λευκανοὺς δ' εἰς τὴν μερίδα ταύτην ἀποικισάντων, ἅμα δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων τὴν ἑκατέρωθεν παραλίαν μέχρι πορθμῆ κατεχόντων, πολὺν χρόνον ἐπολέμουν οἵ τε Ἕλληνες καὶ οἱ βάρβαροι πρὸς ἀλλήλους.*

Haec quae Strabo refert, confirmat non solum Sophocles, in cujus Triptolemo fabula Ceres, teste Dionysio Hal. I, 12. coll. Plin. H. N. XVIII, 12, 1. Triptolemum docens, quantum terrarum seminandis a se acceptis frugibus peragrare necesse habeat, facta primum mentione orientalis Italiae, quae ab Japygio promontorio usque ad fretum Siculum extenditur, deinde Siciliae oppositae facta leviter mentione, ad occidentalem Italiam rediisse et gentes maximas, quae oram istam incolebant, his versibus recensuisse dicitur:

Τὰ δ' ἐξόπισθε χειρὸς εἰς τὰ δεξιὰ,
Οἰνωτρία τε πᾶσα καὶ Τυρρηνικὸς
Κόλπος Λιγυστική τε γῆ σε δέξεται·

verum etiam Aristoteles Polit. VII, 9. *Ὤικουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ, καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες· τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον Χῶνες τὴν καλουμένην Σύρτιν* (sive potius *Σειρῖτιν*)· *ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος.* Quae quidem quo magis illustrem, antiquissimam Choniae descriptionem, quae exstat, in medium proferre mihi liceat.

3. *De Choniae descriptione antiquissima.*

Choniae, in qua Graeci colonias illas condiderunt, quas Hermannus Bobrikius in Geographia Herodoti §. 59. recenset, exstat antiquissima descriptio, quam mutilatam quidem Lanzius (*Saggio* T. II. p. 620.), integram vero Antonius Galateus de situ Japygiae (Basil. 1558), multoque rectiorem, ut videtur, Gruterus CXLV, 5. tanquam inscriptionem Bastae in Apulia repertam exhibuerunt. Quam quum propter antiquas literarum figuras, haud raro praeterea perperam transcriptas, nemo adhuc intellexerit, vel in eum finem, qualis legenda mihi videtur, illustrare mihi liceat, ut, si qua in re erraverim, doctiores viri emendent gravissimi momenti monumentum. Est illa antiquissimis omnium, quae exstant, literis Graecis incisa, octoque versibus metri elegiaci ab Achaeo quodam composita, atque, si emendare licet perperam scripta, recentioribus literis ex mea quidem sententia sic restituenda:

ΚΗΩΝΗΣΙΣΘΗΟΡΙΑ(Ν)ΜΑΡΣΑΠΙΔΟΣΑΣΤΕΙΒΑΣΤΑΙ
ΕΙΝΑΙΗΥΔΡΑΝΤΑΤΑΡΑΝΘΗΟΥ(Η Ε)ΔΡΑΜΕΤΤΑΒΟΟΥ
ΧΩΝΕΔΟΝΑΣΔΑΚΤΑΣΣΥΒΑΡΙΝΤΟΙΝΩΤΡΙΟΝΗΟΚ(Κ)ΟΥ
ΑΙΣΑΡΟΟΣΠΟΝΤΟΥΗΥΔΑΣΙΝΑΝΤΙΡ(Ε)ΕΙ [ΝΑΙ]
ΕΝΘΙΡΗΞΗΟΡΙΚΟΣΚΑΤΑΡΕΙΗΗΧΩΝΕΤΟΥΗΗΤΕΝΕΑΙΘΟΥ
(Η Υ)ΔΑΤΑΧΩΝΝΕΙΑΙΕΝΘΗΥΛΙΑΣΤΕΝΑ(ΕΙ)
ΑΚΤΑΣΚΡΑΘΙΑΕΙΣΕΝΘ(ΑΥ)ΒΑΡΔΑΝΝΟ(Σ)ΑΠΟΧ(ΘΩΝ)
ΧΩΝΝΕΙΑ(ΝΔ)ΙΑ(ΡΕΙ)ΗΙΜΕΡ(ΟΕΣΣΑ)ΝΑΕΙ h. e.

Χώνης ἴσθ' ὁρίαν Μαρσαπίδος ἄστεϊ Βάστᾳ
Εἶναι Ὑδρᾶντα, Τάραν θ', οὗ ἕδρα Μετταβόου·
Χωνεδονὰς δ' ἀκτὰς Σύβαριν τ' Οἰνώτριον, ὄκκου
Αἰσάροος πόντου ὕδασιν ἀντιρέει:
Ἔνθ' Ἴρηξ ὁρικὸς καταρεῖ, ἦ Χωνέτου ἦ τε Νεαίθου
Ὕδατα Χωννείᾳ, ἔνθ' Ὑλίας τε νάει·
Ἀκτὰς Κραθιαεῖς, ἔνθ' αὖ Βάρδαννος ἀπ' ὀχθῶν
Χωννείαν διαρεῖ ἰμερόεσσαν ἀεί.

Nonnulla quidem, praesertim quum alia omittenda, alia supplenda, alia transponenda censuerim, alii aliter legere fortasse malint; sed totius inscriptionis sententia non agnosci nequit. Nam Choniae primum Graecae coloniae antiquissimae, inde a Bastae in Apulia finibus usque ad Rhegii confinia, deinde fluvii omnes, ad quorum ripas conditae erant coloniae, inde ab Irece sive potius Alece ad Bradanum usque contrario ordine recensentur. Chorographicum hoc argumentum, et quod ad Italiae geographiam veterem et quod ad literarum usum attinet, tam gravis est momenti, ut in utrumque pluribus inquirendum mihi videatur. Quum enim Sybaris memoretur Oenotrius, neque ulla mentio fiat Lucaniae vel illarum urbium, quae post excisam Sybarim conditae sunt, Choniae nostra descriptio intra annum 720 a. Chr. n., quo Sybaris ab Achaeis condita fuit, et 510, quo deleta est a Crotoniatis, exarata esse videtur, quum Locri Epizephyrii primi omnium scriptis uterentur legibus, quibus plus ducentis annis inde ab Olympiade XXIX (664 a. Chr. n.) unam tantum legem novam additam esse, Demosthenes in Timocr. p. 744. ed. Reisk. (cf. Diod. XII, 17. Strab. VI, 1, 8. pag. 260) testatur. Hinc praeter aspirationis notam, vario modo formatam atque adhibitam, sedecim modo literae, licet variis nec raro inter se permutatis figuris scriptae, agnoscuntur. Ut autem fatear, quam multa adhuc in his obscura mihi sint, primum statim inscriptionis nomen incertum est, utrum *ΧΑΟΝΙΔ* h. e. *Χαονίδ* an *ΚΗΩΝΗΣ* h. e. *Χώνης* legendum sit. Hoc tamen praeferendum putavi, quia sexta litera in quarto versu pro *Σ* usurpata recurrit: tum vero metri necessitas verborumque contextus requirit, ut *ΚΛ* pro *ΚΗ* sive *X* scriptum putemus, atque *I* pro *E* sive *H*. Hoc quidem in adverbio

ἔνθα v. 5 sqq. semper factum videmus, unde *HI* quoque v. 5. pro ἦ sic interpretor, ut *H* sit aspirationis nota, *I* vero pro vocali *E* producta sive *H* posita sit, omisso iota subscribendo. *X* et *Ξ* vero non distingui solent a litera *K*, quemadmodum *O* litera tam pro diphthongo *ov* quam pro producta vocali *ω* scriptum videmus, etsi *οι* quoque pro *ov* legitur, imo *Οιινοιτριιον* pro *Οἰνώτριον*, *οκο* contra pro *ὄκκου* sive *ὅπου* exaratum est. Tanta enim observatur scribendi rusticitas, ut litera modo geminatae pro simplicibus, modo simplices pro geminatis positae sint, ut in nomine *Χωννίᾳ* v. 6. pro *Χωνείᾳ*: unde *ἀντιρεῖ* quoque v. 4. pro *ἀντιρέει* scriptum puto, quod metrum requirit, quemadmodum v. 2· *Μεττα βόον* pro *Μετάβον* et *Αἰσάροος* v. 4. pro *Αἴσαρος* vel *Βάρδαννος* v. 7. pro *Βράδανος* positum videmus. Imo in tertio inscriptionis vocabulo *ὁρίαν* prima litera et ante et post aspirationis notam posita, extrema contra propter similem sequentis vocabuli literam *μ* omissa est. In quarto vocabulo *T* quidem pro *Σ* scriptum puto, sicut in nomine *Αἰσἀροος* v. 4.; sed *Μαρσαπίδος* pro *Μεσσαπίδος* sic quondam usurpatum videtur, quemadmodum *Ἴρηξ* v. 5. pro *Ἄληξ* cet. cf. Dionys. Hal. I, 68.

Chonum et Oenotrorum nomina barbara a Graecis tam varie scribi solent, ut nesciam, an literae in fine quarti versus superfluae significent, pro *Νεαίθου* etiam *Ναναίθου* dici, nisi ἦ *νάει* pro *ῥέει* usurpandum legere malis. Tantis autem corruptelis abundat altera inscriptionis pars, ut, nisi pro certo agnosceretur Choniae veteris descriptio, nihil omnino extricari potuisset. Sine dubio tamen primum Choniae longitudo significatur coloniis Hydrunto, Tarento, Metaponto, Siri atque Lagaria in Chonedone litore, fluviisque Sybari, Aesaro, Alece, ad quorum ostia Sybaris, Croton, Locri, sicut Aulonia ad Chonetum sive Cocintum, quem Caecinum quoque sive Carcinem vocatum legimus, Petilia ad Neaethum, Crimisa ad Hyliam, sedes vel agros habuerunt; tum latitudo indicatur praeter hos fluvios praecipue Crathide atque Bradano, qui inde a Sila silva atque Vulture monte, duobus illis Apennini montis ramis, omnem Choniam perfluebant. Rhegium a Chalcidensibus a. 668 a. Chr. n. conditum excluditur: Irex enim sive Alex fluvius (Strab. VI, 1, 9. pag. 260. Eustath. ad Dion. Perieg. 367.) ὁρικὸς dicitur, quemadmodum Hydruntum civitas *ὁρία Μαρσαπίδος ἄστεϊ Βάστᾳ*. Ne de hac interpretatione dubites, plura mihi monenda sunt: perperam enim *Υαρανιν* pro *Ὑδρᾶντα* scriptum legimus. *Ὑδρᾶντα* etiam *Ὑδρᾶντα* scribi potuisse, e corrupta lectione apud Strabonem VI, 1, 14. pag. 264. colligo, ubi pro *τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίων κίσμα φασὶ καὶ Σειρῖτιν καὶ τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν* ex Pausania VI, 19, 9. *ἐπὶ τοῦ Ἱδρᾶντος Σύβαριν* emendandum est, etsi VI, 3, 5. pag. 281. *τὸν Ὑδροῦντα* sive *Ἱδροῦντα* legimus. *Ὑδροῦντα* h. l. sine necessitate pro *Ἱδροῦντα* editores corrigunt: nam in nostra quoque inscriptione proprie *Ἱδρᾶντα* scriptum est, quoniam Pythagorae litera Y vix diu ante Sybaris excidium in usum venit: unde *Ἰλίας* quoque pro *Ὑλίας* v. 6., *Ἰδασιν* pro *ὕδασιν* v. 4., imo *Μεττα βόοι* pro *Μεττα βόον* v. 2. atque *Χωνέτοι*

pro *Χωνέτου* cet. v. 5. exaratum videmus. Quod *Ὑδρῆς* contra Stephani Byzantini animadversionem in nostra inscriptione cum adjectivo feminini generis construatur, non est mirandum, quum secundum Stephanum *Τάρας* quoque et *Σελινῆς* aliaque istius generis nomina pro femininis accipi soleant. Magis igitur miror, quod litus inter Mettabi sedem sive Metapontum atque Sybarin Oenotrium *Χωνεδονὰς ἀκτὰς* vocaverit inscriptio, nisi hanc adjectivi formam Chonis propriam putare velis, quemadmodum *Χωνέτου* fluvii nomen. Et in Chonedono litore et ad Chonetum fluvium Chones habitasse, etsi Sybaris Oenotrius dicitur atque Pandosia, regum Oenotriae regia, secundum Strabonem VI, 1, 3, 5. pag. 254. 256. ad Acherontem fluvium in Crathin influentem sita fuisse videtur, testes sunt Strabo et Lycophron. Quum autem ea, quae Strabo ex Antiochi Syracusani, Herodoto atque Thucydidi fere aequalis, opere de Italia excerpsit, inscriptionem nostram quam maxime illustrent, nonnulla hic collecta proponere mihi liceat.

Ut ea pratermittam, quae Antiochus apud Strabonem VI, 1. init. de *Velia* contra Oenotridas insulas condita tradidit hic aliena atque nota satis ex Herodoto I, 167., ad Rhegium statim a Chalcidensibus conditum transeo, de quo Antiochus secundum Strabonem VI, 1, 6. pag. 257. scripserat, Chalcidenses a Zanclaeis evocatos principemque coloniae Antimnestum iis constitutum fuisse. Totam autem istam regionem ait priscis temporibus a Siculis (quos jam Odysseae auctor novit, et Thucydides adhuc VI, 2. sua aetate ibi invenit) et Morgetibus habitatam fuisse, eosque ab Oenotris insequenti tempore pulsos in Siciliam trajecisse. Idem Strabo VI, 1, 4. pag. 254. haec scripsit: »Antiochus in opere, quod de »Italia conscripsit, hanc regionem ait Italiam appellatam fuisse, ac de ea se scribere; prius »autem dictam fuisse Oenotriam. Terminum autem ei constituit ad mare quidem Tyr»rhenum, quem nos Bruttiis assignavimus, Laum flumen; ad Siculum autem Metapontum. »Sed Tarentinam regionem, quae continuo agrum Metapontinum subsequitur, extra Ita»liam sub Jagypiae nomine censet. Apud vetustiores autem ait eos tantum Oenotros atque »Italos fuisse habitos, qui intra isthmum siti versus fretum vergerent Siculum.« Eadem testatur Aristoteles Polit. VII, 9., ipsa verba vero Antiochi refert Dionysius Hal. I, 12. et 73. additis iis de Siculis, quae I, 22. non multum abhorrentia a Thucydidis narratione VI, 2. repetuntur. Strabo autem pag. 225. sic pergit: »Successu temporis ait Antiochus Italiae »et Oenotriae nomen fuisse propagatum usque ad Metaponticam et Siritidem regionem: »habitasse enim ea loca Chones, gentem Oenotricam satis nobilem, territorioque nomen »Choniae fecisse.« Male ibi Casaubonus urbis nomen *Χώνην*, quae super arcem Crimisam a Philoctete in Crotoniatarum agro conditam sita fuit, pro regionis nomine *Χωνίην* ponendum censuit: utrumque enim nomen non nostra solum inscriptio, sed Lycophron quoque agnoscit. Recte autem Antiochus more antiquorum, quibus inscriptio nostra tribuenda est, ut Strabonis verbis utar, simplicius dixit, nullo posito Lucanorum et Bruttiorum dis-

crimine: Bruttiis enim tanquam desertoribus tum demum Lucani nomen dederunt, quum Dio bellum in Dionysium movens quoslibet contra quoslibet concitasset; Lucani vero eo tempore, ducem Lucium e Samnio secuti, intrasse videntur Lucaniam, quum novas sedes quaerentes paullo ante bellum Peloponnesiacum terram Thurinam invaderent. A Thuriis, Cleandridae imprimis prudentia (Polyaen. II, 10, 2 et 4), iterum atque iterum victi, Dionysii demum majoris aetate (Diod. Sic. XIV, 101 sq.) summam potentiam in vetere Oenotria Choniaque nacti sunt, ut Italiotis oppressis Petilia Lucanorum exsisteret urbs primaria. Quemadmodum autem Bruttii prius Lucanorum pastores fuisse dicuntur, sic Aristoteles Polit. VII, 9. Italum, a quo Italia antiqua nomen accepit, Oenotros pastores agriculturam docuisse atque inter alias leges salutares communia quoque convivia instituisse tradidit. Ad Itali quidem aetatem, qui secundum Thucydidem VI, 2., ubi ab optimae notae codicibus Σικελῶν, non Ἀρχάδων e pessima Dionysii Hal. sententia, rex vocatur, annis plus trecentis ante Graecorum in Siciliam adventum vixit, inscriptio nostra referri nequit; sed quum Rhegium jam anno a. Chr. n. 668. conditum esse dicatur, cujus agrum Ἄλης ὁριχὸς a Locrensi dividebat, nihil impedit, quo minus inscriptionem septimo ante Chr. n. seculo exaratam putemus, praesertim quum Ἄλης potius ad Choniae, quam ad Locrensium fines significandos ὁριχὸς dicatur, idemque fluvius secundum Timaeum apud Antigonum Carystium I.peculiare illud habuerit, ut cicadae in Locrensium parte vocales, in altera parte mutae essent.

Omnes coloniae in inscriptione memoratae, sive nomine suo vocatae sive significatae tantum fluviorum ostiis, ante Rhegium conditae sunt: nam Locros Epizephyrios Locri Opuntii jam anno 683 a. Chr. n. condiderunt, atque praecessisse fertur alia colonia circa 724, imo antiquior e Corcyra. Quando Caulonia, quondam ob convallem ante sitam Aulonia dicta, sed cum incolae a Bruttiis ejecti in Siciliam se recepissent, deserta, ab Achivis condita sit, ignoratur; sed Scylletium, quod Crotoniatae possederunt, quum Dionysius partem Locrensibus daret, Atheniensiumcol onia, qui Menestheum secuti sunt, dicitur. Petiliam, ubi tessera hospitalis reperta est, cujus alphabetum propter inscriptionis antiquitatem in tabula nostra adjeci, Philoctetes condidisse dicitur, quemadmodum Crimisam arcem ipsamque Chonem urbem, a qua Chones in ea regione dicti sunt. Lagaria Epei et Phocensium, Siris autem, quae postmodo, Heraclea ibi a. 433. a Tarentinis condita, navale Heracleotarum exstitit, Troica dicitur Straboni. Metapontum quoque tam antiqua urbs fuit, ut origo ejus ad Pylios a Troja reduces referatur: eadem tamen Metabi sedes novos quondam colonos ab Achaeis et Sybaritis accepit. Tarentum a Lacedaemoniis a. 707. condita est, tribus annis post Crotonem vel tredecim post Sybarim ab Achaeis conditam. Eodem tempore jam magnifice celebratur Siritidis terrae amoenitas ab Archilocho, Thasi insulae asperitatem conquerente apud Athen. XII, 25. Quod Athenienses contendebant, Sirin

antiquitus suam fuisse, quippe quam olim tenuissent Iones, Scholiasten ad Lycophron. v. 978. movit, ut annotaret, Athenienses jam ante Trojanos in Italiam profectos circa Sirin habitasse; at ille in priora tempora transtulit Ionum expeditionem circa Olymp. XXIV. factam, qua Colophon urbs a Gyge capta est, unde Iones apud Strabonem VI, 1, 14. pag. 264. *φεύγοντας τὴν Λυδῶν ἀρχὴν ἐπελθεῖν καὶ βίᾳ λαβεῖν τὴν πόλιν τῶν Χώνων οὖσαν, καλέσαι δὲ αὐτὴν Πολίειον*, legimus. Jam omittens ea, quae Strabo ex Antiochi historiis de Crotone VI, 1, 12. coll. II, 4. atque Siritide VI, 1, 14., de Metaponto VI, 1, 15. atque Tarento VI, 3, 2. excerpsit, unum illud adhuc addo, unde Oenotri mihi nomen accepisse videntur. Secundum Plinium H. H. XIV, 3, 6. omnis Oenotriae vina non carent gloria: Tarentina et Servitiana (an *Siritiana?*), et Consentiae genita et Tempsae ac Babiae, Lucanaque; antecedunt tamen ceteris Thurina, omniumque maxime illustrata dicuntur Lagarina, quae Strabo quoque VI, 1, 14. pag. 263. dulcia ac lenia, magnique admodum apud medicos nominis praedicat. Quum igitur Thurina vina inter nobilia fuerint, quidni ob eam causam imprimis Sybarin Oenotrium vocatum putemus? Ut autem appareat, quam late pertinuerit olim Oenotria, *πόλεις Οἰνώτρων ἐν μεσογείῳ*, quas Stephanus Byzantinus praeter *Ὑέλην* Herodoti I, 167. s. v. *Θύελλα* ex Hecataei Milesii Europa recensuit, enumerare liceat, praeter *Ἀρίνθην*, quam *Ἀριάνθην* Herodiani vel *Argentanum* Livii XXX, 19. conjicio, atque *Λαμητίνους*, quos *Λαμπέτειαν* vocabat Polybius XIII, cf. *Σκύλλαιον*, omnes fere ignotas: *Ἀρτεμίσιον*, *Βρυσταχία*, *Ἔριμον*, *Ἰξιάς*, *Κόσσα*, *Κυτέριον*, *Μενεκίνη*, *Νίναια*, *Πατυκὸς*, *Πύξις* (fortasse *Πυξῆς* sive *Buxentum*), *Σέστιον*, *Σιβερηνὴ*, quam ad Sybarin fluvium sitam puto. Idem Hecataeus *Πευκετίαντας ἔθνος τοῖς Οἰνώτροις προσεχὲς* dixerat, *Λοκροὺς Ἐπιζεφυρίους* contra, *Ἀὐλωνίαν* sive *Καυλωνίαν*, quemadmodum *Μέδμην* cum fonte ejusdem nominis et *Κάπναν*, *πόλεις Ἰταλίας*.

p. 20.

2.

Campana inscriptio.



dener Library 003050478
3 2044 086 583 697